

Q. N.
379,
5.

(X1904125)

II n
6401

I. N. J.
MEMORABILIA
INCLYTÆ
REIPUBLICÆ
POLONÆ

Quæ
AMPLISSIMÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ CONSENSU
PRÆSIDE
M. PHILIPPO JACOBO
Hartmann/
Publico Eruditorum
examine subicit
DIETERICUS à TETTAU.

Ad diem Novembris
ANNO M DC LXXV.
horis, locoq; solitis.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN.
ELECT. BRAND. ET ACAD. TYPOGR.



Per-Illustri Magnifico ac Generosissimo

Domino,

DN. GEORGIO ABELI à TETTAU,
Serenissimi Electoris Brandenburgici Confilia-
rio in Prussia & Mareschalco supremo. Hereditario

Domino in Worinen / Sieselaek / Tolcks /
Wandels / &c.

Ut &

Magnifico, Generoso, ac Nobilissimo

Domino,

DN. DANIELI à TETTAU,
Serenissimi Elector. Brandenburg. Capitaneo
Lotzensi, gravissimo, meritisimo, Hereditario Do-
mino in Powarschen / &c.

Dominis Patruis, Patronis Optimis Maximis.

E *St aliquid magnis parva componere. compendium universo, ho-
minem terrarum comparamus Orbi; Civitatem, communi hu-
mani generis conferimus Patriæ: & Domum juxta ponere Civitati fas
erit. Ultraq; enim eadem, maxima civitas minima domus, minima
domus maximæ civitatis continetur diligentia. Quippe cum Fami-
liæ quoq; sui sint Principes, qui eam ducunt; Patres, in quorum po-
testate sunt familiares; Populus, quem varii obsequiorum distinguunt
census. Reipublicæ vero interest, ne sua re civis utatur male: Genti
magis interest, ne annis gentilis abutatur. quos non otio attritos
perdito, CENSORIBUS, NOSTRÆ PRINCIPIBUS FAMILIÆ,
quapiam probare opella sum annisus. eo VOBIS persuadeatis faci-
les, me spartam, quam nactus sum, ornaturum feliciter!*

Illustrium Dominationum Vestrarum

Obsequentissimus servus

DIETERICUS à TETTAU.



I. N. J.

§. I.



REmpublicam Polonam quisquis novisse satagit, ipsam prius Poloniam habeat perspectam; *Polonia* autem vocis duplex sensus, quippe quæ Imperii & terræ complectatur rationem. Sed *Imperium Polonum* consideraturis, non unarum rerum occurret facies: Ut enim quondam augustissima illius fuit species temporum, tamen injuria, non parum ejus amplitudini decessit, ita ut nostra ætate, intra angustiores (1.) (si quoque angustiores dicendi, qui insignem Europæ occupant partem) limites coercitum, Majestatem quamvis delibatam tueatur. *Piastea* quidem, & quæ hanc antecesserunt familie, tantam molem Reip. sustinuisse dicuntur, ut ad Albim, Salamque (2.) inclyta Germaniæ flumina, Imperii vim diffusam extenderint. Sed ut non ubique scriptoribus rerum Poloniarum candidus adjiciendus calculus, neutiquam tamen in omnibus, illorum fides prorsus levitatis damnanda. *Vindicant autem hi illis Seculis, à Lechitis possessas*, præter Poloniam atque Russiæ Regionem, terras Carinthiam, Daniam, Boëmiam, Moraviam; Saxoniam, Holfatiam, Meckelburgum, Marchiam; Pomeraniam, Silesiam, Prussiæque Culmigeriam. *Limites vero Imperio designarunt hac ratione, versus orientem*, M. D. L. & Ponti Euxini oram; uti *ex alia parte*, Moldaviâ, Transylvaniâ, Hungariâ, Austriâ quoque & Bavariâ, vel etiam Danubio, illud terminarunt; Eidemque *ad occidentem* Visurgim, Albim, & mare Germanicum; *Qua Septentrionem spectat*, mare Balthicum, Osfam, fluvium Prussiæ, & Galindiam, fines posuere. Verum hæc ita asserunt, non, velut continua successione memorata loca, posteris majores tradidissent, sed quod alii hæc victricibus acquisierint armis, alii incuria, vel vi quadam Fatali perdiderint; alii perditâ recuperarint, quæ rursus perirent aliis. Quin imo si dicendam, quod res

A

est.

est, in quasdam recensitarum, expeditiones solum factas, monu-
menta Historiarum innuunt; utputo, (3.) in Carinthiam, Grachi
ductu; (4.) in Daniam, ductu & auspiciis (5.) Krzywousti; quod
non nemo (6.) in dubium vocare videtur. Quamvis alias à Prin-
cipibus Slavorum, (7.) plurima Daniæ loca possessa & occupata
legantur: Quos quoque nonnulli huc trahunt, cum eisdem quo-
dam vinculo, Imperio Polono fuisse obstrictos, uno calamo omnes
scribant Poloni: Series autem & tenor Historiæ ejusmodi est: Le-
scus Tertius, cum unicum ex justo Matrimonio suscepisset, illum
Imperii hæredem testatus, naturalibus Provincias, (8.) Saxoniam,
Holsatiam, Meckelburgum, Marchiam, Pomeraniam, gubernan-
das delegavit, salva tamen Majestate Popieli, cui Domino omnes
voluit obnoxios. Quo defuncto, cum Succesor Popielus, nefan-
do parricidio, Patruorum quosdam sustulisset, cujus Ultori Deo
sæva morte pœnas luebat, (9.) neglecti Lescigenæ, Piaſto, ejusque
posteris, obsequia deferre indignati, se summos provinciarum con-
stituire Principes, neque succesores Piaſti, (10.) aliis atque aliis
prohibiti obstaculis, ipsos in ordinem unquam redegerunt, donec
Boleslaus Chrobri, (11.) illustri illa ad Salam expeditione, non so-
lum beneficiis sibi devinciret, verum etiam Trophæorum fulgore,
ad colendum Majestatem Regis Poloniæ reduceret. Sed cum
degener filius (12.) hunc Heroa exciperet, illi Præfecti ad ingenium
redire, & sua agere cœperunt; Ex quo tempore Saxoniam, Hol-
satiam, Meckelburgum, Marchiam, avulsas, neque (13.) unquam Im-
perio Polono restitutas annalium hujus Gentis conditores passim
queruntur. Pomeraniam quidem Citeriorem, (14.) eodem tempo-
re similemque in modum reverentiam obsequii abjecisse tradunt.
(15.) Ulteriorem vero cum Casubia vindicatam, observantiorē
adhæsisse diutius usque dum Swentopelci instinctu & hæ Provin-
ciæ, (16.) se subducerent imperio. nempe juxta Polonorum Fa-
stos Swentopelcus illustri Ducum familia oriundus, cum Summa
potestate Provinciarum præfectus (17.) à Lesco Albo consti-
tutus, Wladislaum Sputatorem, præpotentem inter Regulos Po-
loniæ, habens Generum, illud, quod alii Duces Pomeraniæ obti-
nuerant, Provincias, quarum præfectus fuerat in feudum, (quod
ajunt) sibi suisque, à Lesco deposcit. Hujus repulsam, cum iniquo
ferret

ferret animo atque ea propter Principi debitos, ex Pomerania & Casubia reditus negaret, Lescus ipsi insidias struxit. Quibus in auctorem versis, ipse plurimis Pomeraniæ, à Dano subjugatæ, locis recuperatis, roboreque, adversus Crucigeros pro sociis Prussis bella gerendo acquisito, in Polonos factionibus distractos arma intulit, hisque formidabilis, pacatè deinceps memoratas terras, Summo rexit Imperio. Defuncto vero Svventopelco, (18.) dissidentibus filiis, vario eventu, de iisdem, *Marchiones* (19.) *Brandenburgenses*, (20.) *Crucigeri*, cum *Ducibus* (21.) *Poloniæ* contenderunt: tandem occasione cessionis, sub (22.) emtionis, atque (23.) donationis titulo, vi denique, pacis, (24.) cum *Casimiro M.* pactæ omnia in *Crucigerorum* ditionem cedere; *Boemiam* vero, *Moraviam* & *Lusatiam*, cum *Chrobri* (25.) lacessitus infestis armis, *Boleslaum III.* Ducem *Boëmiæ* his exuisset, factum itidem *Miecislai II.* desidia, (26.) ut easdem *Brzetislaus* ex *Odalrico Boleslai III.* nepos recuperaret. *Silesia* (27.) cum ducentis prope annis, *Vasallos* (quos dicunt) *Regni Poloniæ* posteros habuisset *Vladislai II.*, (28.) quem ob Tyrannidem Regno ejecerant fratres, cum à *Krzywousto* designatum patrimonium (29.) ipsis præciperet: *Artibus Regum Boëmiæ* (30.) *Wenceslai* & *Joannis* potissimum illecta, *Poloniæ*que succensens, quandoquidem ex suis Principibus vix ullum in Regem elegisset; (31.) exasperante iram, *Vladislao Loctico*, cui obsequium præstare dedignabatur, unâ vel alterâ solum exceptâ terra, omnis in *Bohemorum* pervenit potestatem, *Joanne* & *Carolo Regibus* super ea re cum (32.) *Casimiro M.* transigentibus. Hisce igitur modis, *fines Piastea res moderante familia*, antequâ *fascis jagelloni* deferentur *Imperium Polonum* mutavit. *Masoviam* enim semper devinctam (33.) sibi retinuit, quamvis & hæc aliquando minata (34.) discissionem. *Rusie* (35.) quoque, quas *Boleslai*, *Chrobri*, *Largus* sive *Audax*, *Krzywoustus*, egregie acquisiverunt, terras, *Piasti* (36.) progenies est tutata. Non vero ita feliciter *Partem Prusie* pacatam posteris (37.) *Boleslai* transmiserunt. Quare cum *Conradus Dux* (38.) *Masovie* Barbarorum vim nequicquàm retunderet, *Crucigeros* in auxilium advocare coactus, (39.) his illam partem, cum omni jure in reliquam, loco stipendii vel præmii eum concessisse, probabilius putarem

tarem, contra commune assertum Polonorum, (40.) quod Ducem Conradum, sub conditione restituendæ & dividendæ Prussia, cum Crucigeris iniisse foedus, obnixè propugnat.

NOTÆ (1.) *Quod hæc amplitudo Majestati Imperii sufficiat, apud Lubienski, ad Joannem Gembicium Secret. Reg. epistola. & A. O. Censura Candidatorum. (2.) Vincent. Kadl. l. 2. ep. 13. de Bolesl. Chrobri: — in armorum strenuitate resplenduit, quibus Seleuciam, Pomeraniam, Prussiam, Russiam, Moraviam, Bobemiam sua subjiciens ditioni, suis posteris reliquit vectigales. — Hunnos s. Ungaros, Croacios & Mardos gentem validam suo mancipavit imperio. Imo & Saxones indomitos adeo domuit, ut in Sala fl. columnam fixerit ferream, quasi quibusdam gradibus sui fines Imperii, ab Oriente, Occidenteq; determinans. Comment. eadem fere repetit — nec non Saxones suo Dominio subegit. Unde ita late regnavit, quod unam ferream metam in Zulavva fl. Saxoniæ posuit. — Idem in Ep. II. l. c. — terminos Lechitarum ab aliis deperditos strenuè recuperaverat — cum metas P.^a in Kijow — in Cissam & Danubium fl. Ungarorum & Carinthia, & Zulavvam fl. versus partes Turingiæ ad mare Septentrionale statuisset, utiliter recuperando per suos progenitores deperdita. edificavit castra plurima in extremitate regni P.^a, pro conservatione regnicolarum, & resistentia inimicorum, & præcipue in ripis fl. Zulavva, in quibus statuas ferreas pro metis posuit, & Albea, ultra quem Albeam versus Vestvaliam quoddam castrum dictum Brzemia edificavit, & c. quorum plerag; vel invitus Ditmarus cogetur concedere. conf. passim à l. 5. Mich. Chr. R. P.^a l. 2. c. 7. Crom. de O. & R. G. P. l. 3. (3.) Vincent. l. 1. Ep. 2. 4. & Comment. in Ep. 3. quod Gracus contra Gallos invalescentes constitutus sit præfectus, cum Carintiam usq; illorum accessio crevisset. Unde rediens Rex consalutatus, & c. Crom. l. 2. Slavos vero*

vero Carniolam, Carinthiam &c. loca finitima possedisſe, testatur Warnefridus de Gestis Langobardorū l. 6, 52. l. 5, 22. conf. l. 6, 24. 45. 51. l. 4, 25. 40. 42. 46. & alibi. (4.) Crom. l. 3. (5.) Mich. l. 3, 14. Crom. l. 5. (6.) Becman. Hist. Civil. c. 8, §. 4. (7.) Vincent. l. 1. ep. 1. Hi etiam transfinitimorum fines sua titulis victorie aſculpserunt. Non solum enim cismarinas undiq, nationes, sed etiam Danomalchicas Insulas sue conjecerant ditioni: quarum non invalidas legiones prius navalibus fudere praeliis: deinde intimis insularum precordiis infusi, omnem clientulam subjiciunt nationem, Rege quoq, ipsorum Camito in vincula coniecto, &c. verum hanc in rem conferri possunt Sax. Gram. à L. 8. H. D. Helm. etec. Scriptores rerum à Slavis gestarum. Crom. l. 2. (8.) De divisione Principatus, Vincent. l. 1. ep. 16. Dlug. l. 1. Mich. l. 1. c. 9. Cromerus l. 2. de Saxonia Mich. l. 1. c. 14. 18, & c. 19, ex Vincentio. item præfat. Chron. & de Sarmatia l. 1. c. 13. Cromerus l. 2. de Meckelburgo Michovius l. 1, 2, & præfat. Chron. Crom. l. 2. passim. De Marchia Dlug. l. 2, cum quo conf. Mich. l. 2. c. 11. Qui etiam l. 1, 2. & l. 3, 47. vid. Crom. l. 8, & l. 11, item l. 2. passim. Addatur Lubienſki, vit. Episc. N. 14, & 26, (9.) Comment. in Vincent. l. 2, ep. 3. — Et quamvis aliquem de Filiis intoxicatorum principum eligere disposuisſent, tamen diversis in diversos sua vota dirigentibus, in unum ex ipsis non poterant concordare, proprium plus, quam bonum commune prætendentes. Crom. l. 2, passim. (10.) De Zemovito, Mich. l. 1, 13. Crom. l. 2. De Lesco IV, & Zemomiso, Mich. l. 1, 14. Crom. l. 2. (11.) Conf. l. c. N. (2.) Dlug. H. P. l. 2. Krantz. Wand. l. 2, 34. Introrsus autem ad Orientem, Ottone III. regnante, Bolislaus Polonorum Dux — omnem Wandaliā usq, ad Oderam suis subjiciens tributis, ad juga Christi cogebat. (12.) Ditmarus passim Misconem laudat,

dat, & patri Boleslao praefert, verum id est, quod hic auctor nimis affectibus indulgeat, plus justo tanto Heroi succensens, ob clades quas intulit Germanis, contra Vincent. l. 2. ep. 15, & in hanc Comment. Dlug. l. 2, ad an. 1030, 1031. Krantz. Wand. l. 2, 36. Mich. l. 2, 11. Crom. l. 3. Cum Cromero quoad Marchiam conf. dubium Decii C. H. P. To. 2. p. 277. (13.) Cromerus l. 3. Quamvis Comment. in Vincentium, l. 2, ep. 19, Boleslaum Largum, diademate Regio insignitum dicat cepisse cogitare, qualiter M. Boleslai, sui proavi strenuitatem, posset induere, & terminos Poloniae, quos praefatus M. Boleslaus, statuerat, recuperare, quae successores Reges Poloniae, usque ad sua tempora amiserant, &c. (14.) Polonis scriptoribus dicitur ulterior Pomerania quae aliis nobiscum Citerior; & contra: (15.) Pomeraniam utramque cum Casubia Polonorum fuisse evincunt Auctores, N. (8.) citati, de divisione Principatus, Quibus addatur Mich. l. 1, 2. Easdem vero Provincias defecisse, neque a Piasti posteris statim receptas, Mich. l. 1, 13, 14. l. 2, 1. Crom. l. 2, passim, & l. 3. Ab Chrobri vero ad obsequium reductas, Dlug. l. 2. Mich. l. 2. c. 5. Crom. l. 3. Defuncto Chrobri citeriorem abalienatam, Michovius l. 2, 11. Cromerus l. 4, & 12. Ulteriorem vero cum Casubia asertam Vincent. l. 2. ep. 19. & Comment. in hanc, item, ep. 23, & l. 3, ep. 3, 5, & 15. Dlug. l. 6. Mich. l. 2. c. 3. & 11. l. 3, c. 7, 11, 13, 24, 47. Crom. l. 3 l. 5. & 6to, it. l. 8. Herbort. l. 20, 9. Lubienki, vit. Episc. Plocensium, N. 14. Micrael. Pom. l. 6. praefatione. (16.) Hanc in rem consulantur Dlug. l. 6. Mich. l. 3, c. 24, 31, 42, 48. Cromerus l. 6. 7. 8. & 9. (17.) Quae tamen omnia Schuß / Hist. R. Prut. l. 1. refellere conatur. (18.) De Principatu: Dlug. l. 6. Mich. l. 3, 51. Crom. l. 9. Herbortus l. 6. 7. 8. (19.) Ob cognationem, Cromerus l. 9, & 11. (20.) Excessione fratrum Mestuini & debito Loctici, Mich. l. 4, c. 6, 7, 8, 9.

8, 9. Crom. l. 10-11. Herb. l. 9. c. 5, 6. (21.) *Ex donatione Mestuii & possessione Mich. l. 4, c. 1. Cromer. l. 9. 10, 11. Herb. l. 9, 4. (22.) A Marchionibus Brandenburgensibus. Mich. l. 4. c. 8, Herb. l. 9, 6. (23.) A Rege Boëmorum Joanne, Crom. l. 11. Herb. l. 9. c. 10. (24.) Mich. l. 4, c. 7, 17, 62. Crom. l. 12, 16. Herb. l. 10, 4. Schuß Chron. Pr. fol. 71. (25.) Dlug. l. 6. Mich. l. 2, 5. Crom. l. 3. 7. Stranski, Reipubl. Bojemæ. c. 7, Num. 4. Krantz. l. 2, 28. Miesconi videtur adscribere, & paulo aliter ediserit. h. m. Rebus Bohemicis tum suberat insignis civitas Cracovia: ut solent limites regnorum, variante fortuna, vel protendi, vel breviari. quum autē III. Boleslaus præset, Mescō Dux Polonia, contempta Bobemi adolescentia, Cracoviam interceptit, suoque juri denuo consociavit, venit ob eam rem ad grave bellum — demum ex procerum alternæ ditionis instantia, fit colloquium inter Duces de legibus pacis. Dum illis Bohemus ex animo intendit, minus cavet insidias: ibi enim à Polono Mescōne nihil tale timens opprimitur. Filios hic reliquit Jamirem & Udalricum. Jamires natu major patri succedit in ditione. Udalricus extremam amplexus militiam Henricum sequitur Romanorum regem, eum qui primus ex domo Saxonia conscendit hoc culmen, &c. Dittmarus quidem L. 4. Miesconi bellum cum Bolislao adscribit, sed tempore Ottonis III. & L. 6. de Jaromiro Boëmorum Duce apud Henricum exule, uti & L. 7. de Othelrico Bojemorum, Provifore, alia habet. Quamvis ante Boleslaum in has terras, à Polonis excursiones factas testentur, quæ apud, Crom. l. 2, de Zemovito & l. 3. passim. (26.) Krantz. Wand. l. 2, 45. Mich. l. 2, c. 5, 11. Crom. l. 3. & 4. (27.) Eam Provinciam Polonia fuisse, multis Argumentis probant Auctores, Mich. l. 1, c. 2, l. 4. c. 16. Crom. l. 6, 11. Stranski l. c. c. 7. Num. 3. (28.) Lubienski de rebus Silesiacis discursu, Mich. l. 3, 19. Crom.*

Crom l. 6. Herb. l. 5, 6. (29.) *De divisione Regni inter filios,*
 Mich. l. 3, 15. Crom. l. 5. 6. 8. 11. (30.) Mich. l. 3, 66. l. 4, 15.
 16. Crom. l. 10. 11. 12. Lubienski, discursu de rebus Silesia-
 cis. Halmans Schles. Adlers Flügel *hic à veritate devi-*
ant; sincerius Stranski l. c. c. 7. Num. 3. (31.) Crom. l. 6. 7.
 8. 11. Mich. l. 4, c. 16. conf. Halmans Adlers Flügel. Piale-
 cius Chron. p. 368. Cellarius, descript. Regni Pol. Herb. l.
 6, 1. (32.) Mich. l. 4, 16. *de insignium immutatione & c.* 60.
 Crom. l. 11. 12. Herb. l. 13, 3. Lub. discursu citato, disputat,
an illa transactio valida. addantur Halmans & Stranski, l. c.
 (33.) Mich. l. 4, 83, 78, 61. Herbort. l. 10, 8. l. 19, 13. l. 20, 9.
 Guagn. C. H. P. Tom. 1. ibidem Prilufius, c. 7. *de unione Ma-*
sovia, cum Regno Polonia, (34.) Vincent. l. 2. ep. 15. Herb. l.
 3, c. 1, 2. conf. l. 10, 8. *de Masovia Regno adjuncta tempore*
Casimiri M. (35.) Dlug. l. 2. Herb. passim, *ex quo succinctè*
omnis series bellorum cum Russis cognoscitur. (36.) *Quomodo*
Russia in Provincia formã à Casimiro M. redacta Mich. l. 4, 18.
 Herb. l. 10, 3. A. W. Kojalovvicz, H. L. P. 2. l. 8. & l. 4. (37.)
De Boleslao I, Dlugosus l. 3. 4. Krantz. Wand. l. 2, 34. Herb.
 l. 2, 6. *idem de Boleslao II.* l. 4. passim & *de Boleslao Krzy-*
wousto l. 5. & *de aliis Polonorum Principibus, qui Prusos re-*
belles edomare conati. (38.) Mich. l. 3, 13. ad an: 1222, & c.
 (39.) Schuß/ Chron. Prusl. l. 1. conf. l. 2, & l. 11. cum Privil.
 Prusl. f. 119. *de Jure & prætensione Imperii, in terras Prussiae,*
cujus & apud Fredronem in Henr. I. R. P. (40.) Mich. l. 3,
 35. Herb. l. 6, 9. Dlug. ad annum 1230. *concedit donationem*
Cruciferis inscriptam, à Conrado Duce Masovia sed fuisse de
facto, non de jure. confer Joannes de Lasko, præfat. con-
 stitut. ubi etiam hæc apicibus literarum firmata, exstare in-
 scriniis Regni & Ducum Masovia, asseruntur, ut etiam apud
 Mich. l. c. Krantz, *ab Imperatore jus Crucigerorũ in Prussiam*
arcessit.

arcessit. & L. 7, 6. per eadem tempora Rex Waldemarus, multis auctus victoriis, Prusiam est adortus, & ad juga sua coëgit, ut tributa persolveret: nondum enim ordo Theutonicorum eam acceperat terram commendatam. at c. 27. de Theutonicorum ordine militari repetens quædam: in eum, inquit, multi se contulere militares viri — obtinuitq; II. Fridericus ab Honorio summo Pont. eum ordinem confirmari: deditq; fratribus per Germaniam disseminatis, Prusiam Provinciam gladio ad Christiana sacra perpellendam: ut nihilominus memorati fratres suum haberent agmen in terra sancta, quoties opus videretur. L. 8, 2. de Lakoldo s. Vlad. Loct. jam vero dudum Fratres Ordinis Theutonicorum sub Friderico Imper. II. terram Prussie acceperant, commendatam à vicinis principibus, ut gentem incredulam ad fidem pertraherent, & in ea conservarent, amplificarentq; fines Christianismi per vicinas Letuanorum Provincias.

§. II. Post ea facies Imperii Poloni Jagellonidum atate, immutata cognoscitur, siquidem sub his Regibus & incremento & decremento variavit. Quando autem ipsius augustissima, atque amplissima fuit Majestas, ad orientem Narvam fluvium, sive Ingriam, partemque interioris Moscoviæ, ultra fluvium Borysthenem, (1.) Pontum denique Euxinum, suarum terrarum limitem fecit; Meridiem versus, Moldaviam terminavit Bulgaria, Russiam Rubram Transylvania, ipsam Poloniam, Hungaria; Uti qua occidentem prospicit, à Mari Balthico usque pars Pomeraniæ, Marchia, Silesia, distinxerunt limites; qua septentrionem vero, partem Pomeraniæ & Prussie finivit Mare Balthicum, Livoniam vero sinus Finnicus. Wallachia quidem & Moldavia (2.) in Jagellone Reges Poloniæ comiter cœperunt observare, sed (3.) dubia se subinde gerentes fide, adeo ut consultatum fuerit (4.) annon magis Reip. expediret in ordinem perfidos redigere. Avorum memoria, Turcæ (5.) redditu Tributarii, & paciscente (6.) Zolkievio an: 1617. Hæ Provinciæ patrocínio Polonorum abdicatæ, quippe

B

cum

cum ejus pacta in comitiis rata sint habita. *Livonia*, an: 1560. Sigismundum Augustum (7.) occasione factionum Wilhelmi Fürstenberg, & Archi-Episcopi, Dominum suscepit. atque in formam (8.) Reip. Polonæ illam cogere Stephanus est annis; Cum vero (9.) Moscus quædã Sigism.º Aug.º interceptisset, Mosco (10.) *Eri-cus Rex Sveciæ* Estoniam eripuit, Revellamque opera Christophori Coadjutoris Archiepiscopatus Rigensis occupavit, eaque loca, debitum Augusti ex dote sororis opponens, (11.) *Joannes Rex Sveciæ* retinuit, (12.) *Carolusq;* eorundem possessionem deinceps usurpavit varia cum Sigism. III. gerens bella. Tandem (13.) *Gustavus Adolphus*, an: 1621. Rigam intervertit, & præter Dineburgum anno 1625, totam ferè Livoniam subegerat; Atque horum pleraq; omnia (14.) Svecis Pace Olivenfi perpetim duratura anno 1660. concessa, publica testantur instrumenta. *Russia* quidem ditio longè maxima, tam (15.) à Polouorum Majoribus acquisita, quam (16.) cum Magno Ducatu Lithvaniæ Regno adunata, inclytimaxime Ducatus Smolenscii, & Severiensis, atq; *libera Novogradensium Respubl.* Verum ut (17.) hæc jam pridem avulsa à Litvania nunquam ad pristinum rediit obsequium, ita *Smolenscii & Severiensis Ducatus una cum Czernichoviensi*, (18.) à Vladislao IV. recuperati. Quos tamen Mosci flagrante bello Svecico (19.) *cum Kioviensi* invitis extorserunt, & maximam partem ultra induciarum pacta adhuc detinent; veruntamen (20.) electioni anno 1669, Officiales Terrestres Palatinatus Czernich. Smolensc. & Kioviens. subscripserunt, & immixta (21.) harum Regionum nomina, in Michaelis R. & in moderni Serenissimi, titulis, cum Severiæ insuper Ducatu, sunt conspicua. *Prussia* vero Crucigeris adjecta, (22.) à Duce Conrado, ob effrenem eorum bellandi libidinem, (23.) irritatis Regibus Poloniæ, his facta obnoxia; accedentibus quoque aliis (24.) subditorum gravaminibus, pars subducta, pars Feudali relicta jure; Quam demum (25.) Albertus proximo ab hoc Seculo, Ducatus titulo familiæ Brandenburgicæ, imprimis (26.) Serenif. Electorali stirpi, eodem jure transmisit, cui quoque non ita multos ante annos, (27.) nulli obnoxia potestate, jure suo Regno Poloniæ & Rege cedentibus, relicta. Hasque (28.) insigniores Imperii Poloni mutationes observamus, quamvis & nostra tempora, quasdam
sub

subinde sunt minata, eas tanmen numen hucusque clementer aver-
tit, nisi quod Turca Camenecium, (29.) munimentum illud, quod
natura in æmulationem humanorum ingeniorum exstruxisse vrde-
ri poterat, occupaverit, & adhuc de Podoliæ reliquæ possessione,
tractatibus elusus, ferro disceptet. Quod & (30.) Cosaci hucusq;
magnam partem Russiæ reddiderunt infestam his accedit. verum
navi illi in pulchro Imperii Poloni corpore fuerint, quos B. C. D.
Rex (31.) non minus armis decoratus, quam prudentia armatus,
brevis deleturus, ita Cælestis propitia sit gratia! Nostro igitur tem-
pore, ut ditionis Polonæ delineemus fines illi sic se habent: Quoad
Orientem prospectant Borysthenem, cujus caput ferè per Smolencen-
sem Ducatum declinans, ad Moscorum, transit Dominium;
Cum inde ad Septentrionem, Rubo sive Duna in Livonicum se-
xonerans sinum Svecicas à Polonis Regiones distinguat. Ubi
mare Balthicum, quoad occidentem, Livoniæ Polonæ, ponit ter-
minos, uti Pomerelliæ, & Casubiæ, ipsiqve Poloniæ, majori po-
tissimum, Pomerania, Marchia, Silesia: Tandem meridiem ver-
sus, Carpathici montes, Transylvania item, & Moldavia, limites
Imperii Poloni claudunt. Continetqve illustriores Provincias,
præter Poloniam utramqve, cum Minori Scepusiensis Comitatus
etiam includatur, Casubiam, Pomerelliam, Prussiam, Masoviam,
Podlachiam, Litvaniam, Samogitiam, Curlandiam, & Semgal-
liam, Russiam Rubram, Pokutiam, Chelmensem, Belzensem Pala-
tinatus; Woliniam utramq; cum Podolia & Braclaviensi, Russiæ
albæ Polocensem, Witepscensem, Minscensem, Mscislaviensem,
Palatinatus. Quibus omnibus Imperii limitum murationibus,
posent causæ subnecti, nisi hoc rationem nostri instituti excederet.
Saltem ex dictis liquet Imperium Polonum, hodiernum, (32.) di-
versas sub se, Clientelares, Fœderatas, incorporatas, continere
Civitates. Non omnibus per omnia, similibus, vel linguis, vel
moribus, vel legibus gaudentibus.

NOTÆ. (1.) Crom. l. 18. Herb. l. 13, 13. Piasec. Chron.
(2.) Casimirus M. idem videtur captasse sed frustra, de quo
Mich. l. 4, 20. Crom. l. 12. Jagello vero Petrum Palatinum,
cum proceribus in fidem & clientelam accepit, cum ii ab Hun-

garis defecissent, id quod cognoscere est, ex Mich. l. 4, 47. ex Crom. l. 15. 18. & l. 30. Juramentum subjectionis à Palatinis, & Proceribus Regibus Polonia præstitum, itidem annotant Auctores. Crom. l. 16. 18. 20. 21. 27. 29. Herb. etiam passim; & in Corp. H. P. Tom. 1. habetur Homagium Palatini Moldavia, conceptis verbis Casimiro III. à Stephano ritè delatum. Hujusmodi juramenti, & Piascius in Chron. & Fredo in Henrico I. R. Pol. non uno loco meminere. (3.) Mich. l. 4, 48. Crom. l. 30. cum l. c. N. 2. & Herb. Kobierzycki Historia Vladislai, l. 9. Valachiam Polonorum tumultum appellat Conf. Lubienski l. 4. de motu Civili in Polonia, A. O. Censura Candid. de Mosco. (4.) à Casimiro III. Crom. l. 22. 29. Herb. l. 16. c. 4, 6. A Joanne Alberto. Herb. l. 18 c. 2. A Sigismundo, Herb. l. 20, 11. (5.) Jam Casimiri III. tempore, tributum obtulerunt Turco, quod à Polonis non possent defendi. Crom. l. 23. alias affirmat Kobierzycki, H. Vlad. l. 9. Quod Valachia, ante Turcarum adventum, Polonis innotuerit, & ducentis annis eorum Patrocinio usa. (6.) Piascius Chronico, Moldaviam Regno Polonia socialem sed Turca tributariam factam notat; idem ab anno 1612. usq. 1617. rem à primis principiis deducit, quomodo sc: Poloni, dum Moscovia inhiarent, Moldaviam perdiderint & quod ille error Zolkievii nunquam potuerit corrigi, neq. in pace ad Cbotimum, anno 1621. correctus, de quo Petricius, in Hist. Bienn. Pol. hinc A. O. Cens. Cand. Valachiam Pactis Busensibus abjectam dicit, & Okolski Orbis Pol. Tom. 2. observat exinde terre insignibus additam fuisse lunam. (7.) Guagninus C. H. P. To. 1. Pias. Chron. Kojalovvicz H. L. parte 2. l. 8. Polnische Kriegen und Staats-Sachen ex Chytrao. (8.) Idem Sigismundus Augustus fuerat meditatus, Stephanus vero trium Palatinatum; & unius Episcopatus ordinationem instituit, quam

quam Sigismundus III. anno 1598. in Comitibus approbavit, de
 quibus omnibus Piafec. conf. Kojalovvicz l. c. n. 7. de Stem-
 mate novo Livonia. (9.) conf. Aa. N. 7. c. (10.) Piafec. Gua-
 gninus. (11.) Piafec. hos prae textus refutat, contra quam P.
 R. v. St. S. (12.) Lubienski, l. 1. de motu Civili in Po-
 lonia. Piafec. P. R. v. St. S. (13.) Lubienski l. c. N. 12.
 ex quibus etiam causa successus, quod tempore reformationis
 Stephani, Religio Romana à tota Livonia exulavit, ab ipso ta-
 men Jesuita, cum indignatione maximò, civium odio, in Rigam
 introducti, quod novis Privilegiis, addita appendice qua juri-
 bus Romanae ecclesiae peculiariter cavebatur vetera abrogari
 nuntii nequicquam quererentur. (14.) Instrumentum Pa-
 cis Olivenfis, §. 4. 5. A. O. Cens. Cand. Livonia perpetuam
 jacturam Gallis imputat siquidem mediante Christianis. Regis
 Legato, pax perpetua duratura in Oliva conclusa, ut habet
 Marmor inscriptum, in quadam concameratione templi, il-
 lius loci. Haecq; Helena procul dubio fuit, quae illo bello petita,
 ut patet, ex Auctore injustitiae armorum Svecicorum in
 Polonos, contra Cyriac. Thrasym: qui conf. cum causis
 brevibus, & praeliminaribus, limatis, & eliminatis item A.
 O. vindiciis Polonis. (15.) Dlug. H. P. l. 2. de Boleslaorum
 Chrobri Audacis & Krzywousti, expeditionibus. Mich. l. 4.
 c. 18. Conf. Herb. passim. l. 2. 3. 4. & seq. Quil. 10. c. 3. re-
 fert, ut Casimirus M. Russiam in Provinciam redegerit, Pala-
 rinos, Castellanos, Praefectos, judices, & alios Magistratus, Po-
 lonorum more instituens, conf. c. 6. 7. ubi Voliniam omnem
 Belsensem, & Brestensem tractum, cum Podolia in ditione ejus-
 dem fuisse dicit; His addatur Lubienski de causis, cur Si-
 gism. III. Moscis &c. Petrus Petreius Moscovitisch Chron-
 nic: parte 1ma, Kojalovvicz, H. L. parte 2da, l. 8. (16.)
 Michovius l. 4. c. 21, 29, 36. Crom, l. 15. Lubienski, l. c.
 B 3 N. 15.

N. 15. omnem seriem accuratè exponit. Quod aliqui Russia
 Principes, ob ingruentem vim Tartarorum, in ditiones Poloniae
 concesserint, aliqui Litvanis subjecti, qui cum iisdem Regno
 uniti: conf. ejusdem disertatio, de jure Reg. Pol. ad Rus-
 sicas Moscoviticasque terras usq; ad Vladislaum Jagellonem,
 prolixè de omnibus, imprimis de iis, quae Litvanorum fue-
 runt, refert. Piasec. variis in locis. (17.) Mich. l. 4. c. 72, 85.
 Crom. l. 19. & 29. Herb. l. 17. c. 7. (18.) De Severia Mich. l.
 4. c. 36. Crom. l. 15. & 29. & 30. Lubien. de causis cur Si-
 gismundus III. Moscis &c. De Smolenscio Crom. l. 15. 16.
 Sig. L. B. in Herberstein Tom. 1. C. H. P. Lubien. l. c. ante
 hos Mich. l. 4. c. 50. & 80. Quoad cetera conf. Mich. l.
 4. c. 29. & 85. Crom. l. 29. quam multas terras Joannes Dux
 Moscovia, capto Novogrodo M. abstraxerit à Litvanis. (19.)
 A. O. Cens. Cand. Polnische Staats Maxim. (20.) Exstant
 inter suffragia, typo excusa, & quidem ultimo loco, Palati-
 natus Czernichoviensis, Kioviensis vero inter Cujavienses,
 Smolenscensis, Podoliensem inter & Lublinensem. (21.) In
 Juramento utroque R. Mich. expresso in pactis conventis,
 Item in diplomate electionis Ser. Joan. III. (22.) De quo vid.
 ad §. 1. N. 37. seqq. (23.) Mich. l. 4. c. 6. 7. seqq. c. 42. &
 seqq. Crom. l. II. 15. 16. 17. 19. & 21. Schuß Chron. l. 2. & 3.
 Herb. in Statutis, lit. Pru: de Pace, anno 1404. 1436. (24.)
 Mich. l. 4. c. 60, 62, 64. Crom. à l. 22. usque l. 26. Schuß
 à l. 5. usque l. 7. Prilufius, C. H. P. Tom. 1. de bellis Casimiri
 III. adversus Crucigeros: de causis vero dissidii inter subditos
 & Crucigeros, unus instar omnium Schuß consuli potest. De
 conditionibus pacis tandem cum eis inita imprimis de cessione
 terrarum Culmensis, Michaloviensis &c. Mich. l. 4. c. 62.
 Crom. l. 26. Schuß l. 6. de juramento fidelitatis Mich. l. 4.
 c. 64. Crom. l. 26. 27. 29. Prilufius, C. H. P. Tom. 1. formam
 jura-

juramenti, quod Ludovicus & Successores, Regibus Polonia jurare tenebantur exhibet, ad ann: 1466. Juramentum hoc detrectavit, anno 1501. Fridericus, de quo Crom. l. 30. in Joanne Alberto, (25.) Corpus H. P. Tom. 1. Pril. de consensu Maximiliani, Imper. Lubieniski, vita Episc. Plocens. N. 46. ubi de Andrea Cricii defensione. (26.) Ex Privilegiis Prussiae passim: de familia Marchionum Brandeburgensium das Grafschausche Privilegium, anno 1525. de Electorali Diploma Curationis concessæ, anno 1609. De Feudo Ducatus Prussiae, anno 1611. De investitura Joan. Sigismundi, Cautio Dominorum Commisariorū. anno 1612. de affinitate Electoralis Familiae, & Regum Poloniae conf. Schütz l. 11. & 13. Pias. Lubien. passim in epistolis & de motu Civili in Polonia, l. 1. & 3. item in Julium Bellum. A. O. Cens. Cand. praeterea hic pertinent Sulicovius Commen. Rerum Polonicarum; ex Philosophia Altdorfin. Oratione 3. Piccarti, sub finem. Polnische Staats Maxim, eadem habet, quæ A. O. l. c. De juramento peculiariter, Privilegia Prussiae, fol. 113. b. f. 116. b. Piasec. observat, quod illud Vladislao IV. novo exemplo, per Legatum sit praestitum. (27.) Pol. St. Maxim. Pol. Kr. v. St. Sachen. A. O. Cens. Cand. de Neoburgensi, Condao, & Mosco etiam. (28.) Alias de praefectura quadam, etiam quid annotandum foret, de qua jam diu ratione limitum fuit controversia. vid. Crom. l. 16. Piasec. Micrael. Pomer. l. 5. ad an: 1632. conf. & A. O. Pol. St. Maxim, (29.) Ex novellis constitit, de punctis tractatum inter Serenisf. Michaelem Reg & Soltanum Mechmet, Turcarum Imperatorem, per Commisarios conclusis 17. Octobr. anno 1672. inter quæ annum munus 22000. aureorum per Ablegatos offerendum; Cessio Podoliae & Ukraina, illa Turcis, hac Cosacis vindicabatur. (30.) De Chmielnicio Auctore belli Servilis, Pastorius l. 1. Belli Scythi.

Scythico Cosacici, Auct. Comment. Rerum in Magn. Ducat. Lithvan. per tempus rebellionis Russicæ gestarum *passim conf. ad causarum indagacionem*. Pialecius qui *candide, ut alia pleraq; omnia exponit, & jam tum divinatrice prudentia, Reip. malum presagiit.* (31.) Id quod diploma electionis *optimè expresit, & alias fama loquetur anus.* (32.) Fredro fragmento nono, *prolixè de hoc disferit.*

§. III. Polonia autem, ut terram certis limitibus comprehensam indicat, variam quoque meretur disquisitionem. Nomen (1.) autem à loci natura petitur (quod plana Polonia campis potissimum, montibus minimè gaudeat;) omnibus notum. Quando vero illud obtinuerit, cum ante (2.) Slavorum, vel (3.) Rusorum, antiquissima autem memoria Sarmatarum (4.) sive etiam (5.) Scytharum ut & (6.) Venedorum nominibus Poloni, fuerint comprehensi, de eo (7.) nihil certi. In primòs hujus terræ colonos sollicitè inquirunt scriptores: Sunt quidem, qui (8.) Aborigines illos velint, sed probabilior sententia, quæ primum Germanis nomine (9.) Vandalorum habitatam fuisse Poloniam statuit; Cum vero multis expeditionibus, in Pannoniam, Gallias, Hispaniam, & Africam, rari relinquerentur Germani, progressos è Russia, qui deinde Slavi, tandem, Poloni & Boëmi, appellati. A Scythis autem Europæis absque dubio primam ducunt originem, propius à Sarmatis; quippe cum nomen Scytharum Europæorum contractum, ad illos solum fuit relatum, qui ignoti à Romanorum & Græcorum confinio abesent longissimè. A Sarmatis vero Russi (10.) ob singularem potentiam, à Russis Slavi (11.) propter bellicam gloriam, ab his Poloni, propter locum, aut expeditionis Auctorem. Ita E. Europæa Scythia dederit Sarmatas, Sarmatia Rusos, Russia Slavos, Slavonia denique Polonos. Lingua vero incolarum Poloniæ, est Dialectus (12.) Slavicæ: ipsa (13.) vero, ut uberrima, ad mentis etiam sensus exprimendos aptissima, pronuntiatio indigenis decora, exteris difficilis. Limites vero terræ assignaturis, illud revocandum in memoriam, quod Polonia quidem majori & minori definiatur, at sub majori, non tantum Calissiensis, & Posnaniensis Palatinatus concludendi, ut alies (14.) fieri

fieri sive, sed præter hos etiam (15.) Cujavienses, Lancienses, Siradienses, Ravensis, cum Vielunensi terra: uti minoris nomine præter (16.) tres Palatinatus, simul & Osvecimensis, Zatoriensis, & Severiensis Ducatus, cum Comitatu Scepusiensi, intelligendi; Polonia E. qua Orientem, partem Podlachia, terram Chelmensem, Palatinatum Belzensem, Russiamque Rubram prospicit; qua ad meridiem vergit, montes Ungariae; Uti ab occidente, longissimo Silesiae, & Marchiae tractu cingitur; cum septentrionale latus, Casubia, Pomerellia, Vistula, Masovia, Podlachia, particulatim claudant. Distinguitur autem Polonia (17.) non in Ducatus, aut Comitatus, sed in Palatinatus, Castellanus, & Capitaneatus. Aliter autem dividitur (18.) Polonia, in terras & districtus; verum hæc ratio dividendi potissimum ob judicia inventa est, quamvis etiam & alium afferat usum, (19.) terrarum imprimis insignitio. Cæterum (20.) magnitudinem, figuram, situm varium, Poloniae, ratione terræ quam Imperii, brevitati consulentes, ut & alia minus cognitu necessaria, omittimus.

NOTÆ (1) Crom. l. 1. c. 13. Prolixius c. 15. *Polachos autem à Lecho quidam volunt dictos conf. C. H. P. Tom. 1. Guagninus in descript. Sarmatiæ Europææ, Crom. l. 1. de Polon. Herb. l. 1. c. 1. (2.) Testatur Crom. l. 1. c. 8. illud ante Justiniani tempora non inveniri, quodq; in Procopio atq; Jornande exstet; ex quo Cellarius in novissima descript. Polon. Occurrit autem vox, apud Procopium quidem, l. 1. Hist. Gothicæ. Item l. 3. & 4. apud Jornandem vero de rebus Geticis, c. 5. & 23. apud Warnefridum etiam de Gestis Langobardorum. (3.) Ptolemæo l. 3. c. 5. Roxolani, ita & Plinio, Tacito & c. de quibus vid. Crom. l. 1. c. 10. conf. Mich. l. 2. de Sarmatia Europæa, c. 1. C. H. P. Tom. 1. Saxoni Grammatico, l. 5. Hist. Danicæ, dicuntur Rutheni. Mag. Adamo, c. 221. Ruzia appellatur, (4.) (5.) De Sarmatis, & Scytbis, Plinius l. 4. H. N. cap. 12. affert, quod illi Græcis dicti Sauromata, horum vero nomen transierit ad Sarmatas, conf. Ptol.*

C

l. 3.

1.3.c.5. *De Sarmatia in Europa situ*; Procop. Hist. Vandal. 1.1. & Hist. Gothicae l. 4. *habet, quod vetustiora secula, omnes Gothicæ Originis populos, Scythas vocarint. Nam quic., inquit, homines illa mundi extrema tenent, universè quidem Scythæ appellantur, distincti interim, in nominum species &c.* Addatur Jornandes. de reb. Get. c. 50. Crom. l. 1. c. 10. ex quo Cellarius l. c. *Qui tamen alibi ex quodam affert, quod nulla inter Slavos & Scythas convenientia.* (6.) *Venedorum ad Vistulam, cum Sarmatis habitantium, mentionem facit Plinius, H. N. l. 4. c. 12. Tacitus de moribus Germanorum, sub finem, Ptolemæus l. 3. cap. 4. Jornandes de rebus Geticis, c. 5. & 23. Veneti, Antes, Slavi, sunt populi ab una stirpe exorti, Grotius, in Prolegomenis Hist. Gothicae, & Wandal. ex Johanne Aventino, & speculo Saxonico affert, quod eos qui à rerum gloria, Slavi sibi ipsis dicti, Germani, Winidas vocarint.* (7.) Blondus, apud Crom. l. 1. c. 11. *putat Slavos domi relictos, cum tempore Mauriti Imperatoris, alii in Dalmatiam, Illyricumq; emigrassent, paulo post mutasse nomina, & partim se Polonos partim Bœmos nominasse.* apud Jornandem quidem de rebus Geticis c. 4. *occurrit Spalorum nomē, sed hi Hispaniæ fuerunt populi, ut ex Isidori Chronico, ab Isaaco Vossio edito patet vid. Era 586, 587. item 478. Ditmarus l. 4. p. 89. l. 8. p. 251. 252. Edit. Maderi, Polenios & L. 6. Poloniam appellat. Mag. Adamus Sec. XI. Scriptor Hist. Ecclesiasticae, Polanos, qui sunt Poloni, Capitulo 221. nominat. Hunc Helmol- dus &c. sequuntur. Ulti etiam Vincentius Kadlubko, vetustissimas Rerum Polon. scriptor in suo Chron. utitur. Quod si & Epitaphium illud Boleslao Chrobri inscriptum, antiquitate memoratos Authores antecedit, & ibi simile quid Polonorum nomini occurrit:*

*Tu possedisti velut Athleta Christi,
Regnum Slavorum, Gotthorum seu Polorum,*

uti

uti renovatum, anno Domini 1664, in Cathedrali ecclesia Posna-
nia legimus. (8.) In illa opinione Piasecius, & Lubienski fu-
isse videntur: conf. Crom. l. 1. c. 14. (9.) In hanc sententiã totus
fere l. 1. Crom. consulatur, item Neugebaur. H. P. l. 1. & Cel-
larius l. c. qui Crom. exscribunt, addantur Grotii prolego-
mena citata, item Auctores à Bangerto, ad Helmoldi l. 1. c.
2. adducti. Contra ea Vandalos Sarmatas fuisse probare an-
nititur imprimis Piasecius. conf. Mich. ad Cricium sub fi-
nem epistolæ, & de Sarmatia lib. 1. c. 12. 13. Alex. Guagn.
C. H. P. Tom. 1. & Tom. 2. Decius l. 1. qui tamen minus si-
bi constare videtur. verum ut ut hac controversia peculia-
rem mereatur disquisitionem, multum tamen juvat observasse,
Vandalos antiquis scriptoribus Germanos intelligi: A Sec.
XII. autem, plerisq; cum Venedis confundi. (10.) Lubien:
de causis cur Sigism. III. Moscis &c. (11.) Piasecius Crom.
l. 1. c. 10. (12.) Brerevodus, in Scrutinio linguarum, c. 8.
qui etiam de amplitudine hujus lingue consulatur; addatur
Mich. de Sarmatia, l. 1. c. 13. & Tom. 2. C. H. P. Decius l. 1.
Piasecius, Cellarius. (13.) Cnapius in Proœmio Lexici,
prolixè. (14.) Ita Generalis Capitaneus Majoris Polonia di-
citur, qui solum duorum Palatinatum est, Posnaniensis, sc. &
Calisiensis; similem in modum dicuntur, Comitata Polonie Ma-
goris Sroda celebrari, quæ itidem tantum duorum istorum sunt.
hinc Crom. de Polonia L. 1. Tom. 1. p. 78. C. H. P. Major
Polonia duas Satrapias, nimirum Posnaniensem, & Calisien-
sem complexa &c. (15.) Vid. Geographi Cluverus, &c. (16.)
Crom. l. c. N. 14. (17.) Id quod experientia testatur, licet
Michovius l. 4. c. 1. discissionis Polonia in Plures Ducatus
mentionem faciat, & in Minori Polonia Osvencimensis, Zato-
riensis, & Severiæ Territoria, Ducatum nomine venerunt,
C 2

de quibus conf. Tom. 1. C. H. P. Prilufius, (18.) Ex processu, judiciario Regni Poloniae, Theodori Zavvadzki, & Gregorii Czaradzki, Process. Sądovny Ziemskiego Pravva Koronnego, Terrarum & districtuum numerus colligi potest, si index terminorum, sive judiciorum terrestrium omnium Palatinatum, & Districtuum, quorum jura dicuntur Petricovia: item, Terminorum terrestrium, in Palatinatibus Minoris Poloniae, à quibus ad Lublinum Appellatio, consulatur. (19.) Unde terrestres dignitates, de quibus B. C. D. alibi. (20.) Geographi & Scriptores passim, imprimis Starovolscii Polonia.

§. IV. Resp. E. Polona ex his tandem puto declarabitur facile, quod sit ordo civium Polonorum, sive illi terræ, sive Imperii Poloni contineantur limitibus. Ordinem verò illorum (1.) fuisse à primis Gentis Natalibus in his oris, quamvis non adeo politum, ex Historicis liquet; neque enim vagos extra societatem civilem vixisse, testantur. Verum an semper liber fuerit, de eo (2.) Germani Scriptores Polonis subinde controversiam movent; sed enim horum rationes majoris momenti præ illis Germanorum deprehendimus. Finis vero propter quem hic ordo ab illis institutus variavit quidem, non tamen ita ut vel in voluptatem desiderem cum Sybaritis, Crotoniensibusve; vel cum Tyriis in turpe lucrum degeneraret: Sed quod aliquando cum Lacedæmoniis visi sunt bellicam gloriam, plus Justò affectasse, aut cum Romanis, honorum præter quod decet magis cupidi: verum, ut plurimum, imprimis postquam barbariem Christianorum morum, probitas exuisset, honestum S. B. Practicum statuerunt, in illud omnibus connitentes viribus ut cives, quales ipsis nobiles, in Imperio Polono omnia sufficienter haberent, ad agendum res præclaras, secundum virtutis normam absolutissimam, si quando justa ætas illos redderet idoneos. Huncque inclytæ Reip. fuisse finem, evolventibus Annales luculenter apparebit, cum subinde honesti ergo, maxima subire pericula, raraque fuerunt annotatu enormia crimina, aut scelera. Hunc propter finem, libertatis acerrimi defensores; Hunc propter tot socias obtinere provincias; ex hoc
Turcis,

Turcis, Tartaris, aliisque Barbaris formidabiles. Verum cum ordo non sit uniusmodi quo ad obtinendum S. B. P. contendatur, disquirendum, qualis fuerit Polonorum. Plerique ita arbitrantur, eandem semper quæ nunc est, fuisse Senatorii & Equestris ordinis cum Regio mixturam, verum si res paulo altius repetantur, & omnibus adhibeatur lima, deprehendemus formam (4.) olim fuisse Monarchicam, nullis legibus obnoxiam; misceri autem, (5.) Aristocratia cœpisse, cum rei Christianæ exordio, quæ facies, diu usque ad Jagellonidarum genus extirpatum: (6.) inde populus se admiscuit maxime, & ita ex tribus elementis Reip. corpus fuit constitutum. Aristocratia quidem mera non obtinuit, nisi tempora Interregnorum velimus assignare, ita nec Politia sola gubernatum populum legimus; nec Democratiâ unquam fuit Imperium oppresum, nisi quod Cosacica plebs illud nuperè à morte Vladislai IV. affectavit, quæ tamen nullas reliquarum Provinciarum invenit socias. De Oligarchia quidem aliquando conquesti sunt tempore Interregni, sed illa si qua fuit, cum Interregno exspiravit. Tyrannidem quoque aliquando experta Gens, sed rarissimè, nisi eam annumeres, quam affectuum vehementia hoc convitio notavit, rerum administrationem perversam. Proximis Seculis egregiè Respubl. (7.) Regis Majestate, auctoritate Senatorum, Equitum potentia, est temperata; quamvis uti quondam in hujus corporis mixtura, plurimùm Optimatum (8.) superavit auctoritas, ita nunc Populi superet potentia: Regia circumscripta potestas, & nisi alteram curiam Senatorum equitumve habuerit faventem, invalida erit. antea quidem ex Senatus sententia, Rex confecit omnia, illique unicè adhæsit, nuperè autem populi favor, quantum præpolluerit, ex actis (9.) publicis est percipere, adeo ut querelis opus fuerit proceribus, ne ipsorum curia opprimatur. Ut vero penitus Rempubl. Polonam ex tribus majoribus membris compactam inspiciamus, ordine singula perlustrabimus. Atque ut à Capite membro nobilissimo sumamus initium, per successionis ordinem, (10.) antiquitus principes suos Poloniam accepisse, dubium Historias legentibus esse nequit. Regia autem Familia, improle decedente, (11.) jus eligendi sibi imprimis proceres attribuerunt. Factum autem Piasteorum ævo, ut post (12.) Regni in

varios Ducatus, à mortè Krzywousti discidia, Genus principum
 factiones alendo, potentissimosque, Sacri & Civilis ordinum in-
 suas partes trahendo, his ipsis secum Monarcham eligendi con-
 cesserit facultatem; qua quamvis ante Ludovici mortem non tan-
 tum potuerint, valuit tamen, apprimè familia Silesiorum à Polo-
 nia divulsa, & solis Masovix reliquis ducibus, auctoritas Ordinum.
 Ludovicus vero, cum plurima concessisset Polonis, ut filiarum al-
 teram destinarent Reginam, mascula deficiente prole, (13.) (cum
 tamen jus succedendi sequiori sexui non competeret.) (14.) hac
 ratione fundamentum Electitii ex Hæreditario Regni jecisse credi-
 tur. Quod jus liberæ electionis, hodiernum tanquam sacrum Pal-
 ladium à Jagellonis seculo defenditur fortissimè, & maximum
 libertatis habetur pignus, ut etiam Piafecio (15.) Vocatio Regia
 unica & certissima instaurandarum libertatum cujusque Gentis ra-
 tio dicatur. Deque hac libera electione ab omnibus Ludovici
 successoribus (16.) sibi caveri voluerunt, quippe qui sciebant,
 fuisse (17.) qui metu armorum reverentiam erga defunctos pa-
 rentes reduxerint, ut quos illi morituri commendarent Polonis eos
 Reges dicerent. Atque ut libera sit electio, ea propter vivo Rege,
 Successorem eligere, ut ut (18.) olim licuit, nunc (19.) licet mi-
 nimè.

NOTÆ (1.) Vincent. l. 1. ep. 1. *Non enim plebei Ab-
 origines, non vendicariè illis principatus sunt potestates, sed
 Principes succedanei.* conf. epistolæ seqq. & Comment. in
 ep. 3, 16, 18. (2.) Ditmarus l. 6. Helmoldus l. 1. c. 1. §. 9.
*Polonia quondam habuit Regem, nunc autem Ducibus guber-
 natur. Servit & ipsa, sicut Bohemia, sub tributo Imperatorix
 Majestati.* Wippo de Vita Chunradi Salici inter Script:
 Rerum German: p. 431, 438. — Krantzius Wandalix, l. 2.
 c. 26, 34, 36, 45. l. 8. c. 2. Stella l. 1. de antiquit. Prussix. Li-
 mnæus de J. P. Germ. l. 1. c. 9. §. 59. seqq. (3.) Vincen-
 tius l. 3. ep. 5. & 19. Dlug. H. P. l. 4. *de Boleslao Krzywousto,
 apud Henricum Imperatorem Bambergæ: scire se & Poloniam,
 & ejus Reges ac Principes, nunquam tributis servivisse, sed
 plena*

*plena semper libertate, in eam usos diem. Mich. l. 3. c. 10, 19. Decius l. 1. Tom. 1. C. H. P. p. 277. seqq. confutat Naucle- rum. Herb. l. 2. c. 4. l. 4. c. 5. l. 5. c. 6. de Boleslais, Chrobri Krzywousti, & Crispo. conf. Fredro fragm. 2. Cellarius de- script: Regni Poloniae, Rectè Becmannus Hist. Civilis, c. 8. §. 2. inde non colligi Poloniam tum temporis Germano Im- perio fuisse tributariam, quod Otto III. Chrobrio contulerit Regis titulum: mirum tamen, inquit, ipsos scriptores Polonia scribere, Boleslaum tunc à tributo absolutum fuisse, quam in- rem allegat Auctores. (ut & Limnæus l. c. n. 2.) Mich. l. 2. c. 4. Guagn. Tom. 2. C. H. P. pag. 347. & Crom. l. 3. Si enim Po- loni, pergit, immunes tunc pronunciati, vel ab obedientia vel tributo Imperatorum absoluti tributarios ante fuisse oportuit. Verum si Mich. penitus inspicias, & conf. l. c. cum l. 3. c. 10, 19. ubi sub Imperatore & tributo, nunquam fuisse Regnum Polonia asseritur; uti & Crom. l. c. cum eo qui sub finem l. 3. de Miecislao II. ubi prolixè contra Germanos banc in- rem ex Historicis disserit, patet aliter illa verba explicanda, cum probabile sit, tantos istos noluisse sibi contradicere. & com- modè mens erit; Otto Imperator Boleslaum coronavit, à sua- suorumq; successorum Romanorum Imperatorum obedientia, eum & posteros ejus Reges Polonia, quæ sunt Michovii, perpe- tuo absolvit, non quasi ante fuissent obstricti, sed ne sub hoc pretextu obstringerentur. Crom. facilius conciliatur, ut de Guagn. nihil addam. & confirmant hæc ea Helmoldi l. 1. c. 15. §. 1. quod Boleslaus confæderatus cum Ottone III. dicitur tributis subjecisse omnem Slaviam, quæ est ultra oderam. ne- que obstat, quod toties, apud scriptores, omnes Slavi ab Im- peratoribus dicuntur subacti, quibus Crom. sub finem l. 3. respondet. Majus dubium fortè, quod Lipscius Observ: Pra- cticarum, Centuriæ l. 95. Num. 23. habet. Quod jussu
Otto*

Ottonis Imperatoris, Poloni jus ex Magdeburgo, vel Halla petiere; verum illud alio loco Bono C. D. discutietur. (4.) (5.) (6.) Karnkovski, ad Heinricum Regem de Jure terrarum Prussiae. — Quod Idololatrarum Principum tempore (in Polonia) unus omnia rexerit, absoluta potestate. — Tempore Christianorum à Miecislao I. usq; ad Casimirum M. & Ludovicum, non optima fuit, in Polonia conditio & libertas, adhuc enim equestris ordo premebatur servitutis oneribus. A Ludovico, usq; ad tempora Sigismundi Regis, optimus fuit Status Reipubl. Nam omnia regebantur à Regibus ex sententia Senatus. Lubienski de Vitis Episcop. Plocensium Num. 7. de Stephano Episcopo; — Is primus durum olim servitutis jugum, quo Nobilitas Polona, ad nutum, Imperiumq; Principum obstricta erat, eoque quasi vincula tenebatur, demere orsus est, idq; summa cura, coeteris etiam adnitentibus Proceribus Regni, obtinuit, ut cum olim soli Episcopi, Senatoria dignitate fulgerent, pauciq; alii ad id munus arbitrio Principum adsciscerentur, deinceps per omnes districtus ac Regiones Senatores Majores ac Minores, qui & in Provinciis dicerent Jus & Regi judicanti, ne omnia suo arbitrato faceret, quasi libertatis custodes & conservatores adhiberentur, praesto essent. Vid. &c. ob eadem sc. à Boleslao audace in Stanislaum commissam; idem de Episcopatu rectè gerendo p. 289. Quod Senatus in Polonia, ex Episcopis prior quam ex secularibus: — principio inducta & in Polonia suscepta Christiana Religio, vix unum Senatus, aut Concilii publici vestigium erat princeps unus & solus omnia poterat — Episcopi Primi aliunde huc acciti, ex usu aliorum Regnorum, & ex praescripto Sac. Canonum, hac conditione se esse non posse, ostenderunt. vid. seqq. (7.) Piascius Chron. p. 49. 50. prolixè probat quod Polonorum Respubl. moderatissimo stet colligata Imperio. Fredro fragm. 10. contra novorum
Politi-

Politicorum acerbam censuram. p. 248 249. Conf. Fragmentum 6. p. 195. quibus addatur illud Dlugossi, H. P. l. 4. Quod Boleslaus Krzywousty moriens asseruit, in Polonorum Regno, nisi unus fuerit, ad quem totius summa cura referatur, universam in ruinam solutum iri. & ex Privilegiis Prussiae, Fol. 95. a. responsum S. R. M. anno 1606. (8.) Videantur Auctores citati ad Num. 4. & conf. Hist. passim. Pol. Kr. v. St. Sach. de Georgio Lubomirski. Verum ex Herburto l. 5. & 7. l. 8. c. 6. & l. 9. c. 1. 2 5. 11. & l. 12. videre est quomodo creverit Auctoritas Senatorum; nempe quod tempore filiorum Krzywousti praepriis in valuerit, tunc enim hi & Vladislaum II. & Miecislaum Senem, aliosq; ex suo arbitrio, aut evectos, aut deturbatos dignitate conspexerunt: Confirmati postea per intestina ducum bella, & languescentes horum vires ob irruptiones Tartarorum & hostium; postea consolidati, per usurpationem electionis, quam suam fecerunt potissimum proceres. (9.) Diarium convocationis & electionis anno 1674. conf. Zayvadski gloria orbi Sarmatico consensu monstrata. Item Wyvvod Nievvinnosci, Archiepiscopi Gnesnensis anno 1672. (10.) Perspectiva Politica Corycinii p. 5. seqq. Non bene Regnum Polonum in successione Regum fundari docuit in stirpe Lechi Prima Imperii Poloni constitutio. (11.) Corycinus l. c. proximè c. 3. In Gracho Romano primam liberam electionis sui Principis formam instituisse Polonos qualis etiam ad haec usq; tempora in Regno immutata permanet docebimus. (12.) Mich. l. 3. c. 59. Lesconem Nigrum, successisse Boleslao Pudico per concordem omnium Baronum, & Pauli Episcopi Cracoviensis electionem. Quod Boleslaum strictiori Consanguinitate contingeret & ab eo adoptatus & designatus esset Successor. vid. seqq. de Palatini & Castellani defectione. item c. 64. De Loctico qui propinquior Lesconis nigri, & Legitimus Successor,

D

cessor,

cesfor, utpote qui Germanus dicitur, cui tamen ab Episcopo Cracoviensi praelatus est Dux Masovia. Conf. item cap. 65. De Gryphina Lesconis Nigri relicta, & l. 4. c. 1. De Electione Przemislai, ubi etiam, quod Locticus se non Regem sed Ducem & heredem Polonia scripsit. c. 2. De Loctico abrogato & Ven-ceslao II. Bohemo surrogato. c. 6. de aliis, qui se heredes & Dominos Polonia scripserunt, addatur Herburtus l. 6. c. 1. l. 7. l. 8. c. 6. l. 9. c. 1. 2. (13.) Herb. in Statutis lit. Elect. Fol. 84. Ac primò omnium Proceres & Nobiles Regni Polonia, Ludovico Regi consenserunt, ut filii ejus in Regnum succederent, si vero non essent filii, filia hereditarent; (Anno 1374.) — Qui Ludovicus etiam de consensu eorundem Baronum, militum & Nobilium casat literas de non eligenda femella in Successorem. (14.) Manuscriptum Polonum Rokosz Glinianski z Authentiku Jch Mciovv Panovv Granovvskich vvyfisanych vv Roku 1379. In quo prolixè & de iniqua administratione Ludovici, imprimis de Comitibus Buda habitis, Cede Senatorum proditorum, aliisque Notatu dignissimis, quae alibi vix occurrunt, traditur. Sub finem De promissis Ludovici: Sub hac tamen conditione, siquidem Rex Serenis. filium heredem non habet, tantummodo puellas, post obitum illius, ne sibi Gens Polona, ex alia natione Dominam eligat, sed aliquam ex filiabus ejus, cui Nobilitas Polona assensit, & Rex Ludovicus Nobilitatem tantis donavit Libertatibus, quibus hucusq; fruimur, quantas nullus Rex Polonia obtulit. conf. alii scriptores. Sarnicius Annal. P. 7. p. 331. ad an: 1374. Prilufius II. R. i P. x l. 1, 1. artic. 2. prolixè de Ludovico. (15.) p. 440. (16.) Inter Herburti Statuta de electione, ubi Jagellonis, Vladislai III. Casimiri III, Joannis Alberti, Alexandri, Sigismundorum I. & II. cautela exhibentur. & ante hunc ap. Priluf. l. c. n. (14.) & Piasecius p. 421. scribit Sigismundum III, anno 1631, iterum
ratam

ratam fecisse, Libertatem electionis Polonia. Regis & in Volum-
 men Legum publicum illud Diploma fecisse inseri extat sub
 init: I. Warunek Wolney Electiey. sequitur Diploma. Sig. III.
 & cc. (17.) Hoc modo Casimirus III. Joannes Albertus, & A-
 lexander, ad Regiam Majestatem, evecti, innuente Kojalo-
 vvicz, H. L. l. 5. 6. parte 2da. & Vladislaus IV. fere haud absi-
 mili ratione. (18.) Mich. l. 4. c. 18. 31. 32. Herb. l. 10. c. 3, 6.
 Lib. II. c. 1, 8. l. 12. c. 1. l. 14. c. 5. l. 15. c. 15. Kojalovicz H. L.
 parte 2da l. 8. (19.) Piasecius p. 220. 221. 224. 385. 440.
 Fredro Fragmento 10. Omen durationis 14. Conf. Henr.
 I. Rex Pol. p. 65. de legibus tunc rogatis; item scriptum, Vo-
 calis sine nomine, non omine Nympha, sive peregrinis è
 vallibus echo. anno 1661. ubi rationes Joannis Casimiri, de
 eligendo Rege, ipso vivo; addatur Polnische Kriegs- und
 Staats-Sachen. & ex Diar. Convocat. an: 1674. d. 27. Jan.
 qua ibi occurrunt, de restitutione scripti an: 1654. à Thesaura-
 rio Ill. mo Lesczynski Casari exhibiti, quod Electione Caroli Jo-
 sephi, defuncto Casimiro, promiserat, cum Casar alia ratione
 adversus Svecum auxiliares mittere denegaret. & d. 3. Febr.
 ubi per legem illud abolendum suadent, si non posset recupe-
 rari.

§. V. Electionis vero certa ratio (1.) scriptis legibus non-
 dum est definita, tenor autem hic est: antecedit Interregnum, si-
 ve superstes quispiam ex Regia familia, sive minus, (1. *) nullà hoc
 interregno inducit differentiam, eadem in utroque casu obser-
 vantur, nisi (2.) quod rari Candidati, exteri indigenæve, aut ferè
 nulli, superstite quodam ex familia Regia: Quippe cum jam diu
 constet, antiquum eum morem Polonorum (3.) Regiæ soboli hanc
 deferendi reverentiam, ut ipsius virtuti præ aliis diadema destine-
 tur. Interregnum interregem Archi-Episcopum Gnesnensem
 veneratur; ab illo puto tempore (4.) cum Casimirus ad Mona-
 sterium concesserat. (5.) Quod vero alias nulla officia nominati

obire possunt Episcopi vel Archi-Episcopi, Interregis tamen munus, vel nominatū Archi-Episcopū subire, nupero documēto comperimus. adduntur Interregi, propter Interregni negotia (6.) Consiliarii. Ipsius verò Interregis summa hoc temporum successu auctoritas, (7.) sine cuius scitu & consulto nihil majoris momenti confici potest. Equestris autem ordo, & Senatorius sub Interregno Regiam (8.) simul exhibet Majestatem, unde Tit: Serenissimorum ordinum sibi tribui flagitant. Si qua vero Interregnum à Mortē vel abdicatione Regis cœpit, interrex (9.) quam primum cum Senatoribus Varſaviam aut alio locorum se confert; inde ex consilio Procerum per universales, quas dicunt, typo expressas obitum Regis vel causam (10.) qualemcunqve novi Interregni denunciat, deque (11.) necessariis ad securitatem rogat, in Comitoliis indictis sese adversus vim Domesticorum, quam externorum Hostium parent, instructos item nuncios terrestres, ad Convocationem mittant. Acceptis literis (12.) Capitanei eas per ministeriales, (quos ajunt,) in quatuor partibus fori civitatum clara voce publicari, & ad debitam omnium, ut juris, & moris est, notitiam sufficienter deduci curant. His ita palam factis, (13.) justitium edicitur. Atque tunc demum, constituta, (14.) in universalibus die comitiola celebranda forent particularia, quibusdam Provinciis (15.) Generalia. Verum anticipantur hæc aliquando à Capitaneis, (16.) (quamvis non absque disceptatione) & ad illorum literas (17.) universales Nobilitas in certum locum statō die confluit. Alias, juxta antiquiores Consuetudines, (18.) denominatis in universalibus ab Archi-Episcopo die, & loco illa agitanda essent, eodem more (19.) ibi creato Marschalco, ut in cæteris comitiis fieri sœvit: Laudum vero (ut vocatur) quod in his Comitoliis conficitur, & deinde actis Castrensibus, ut quævis majoris momenti, inferitur, ostendit in ipsis (20.) de securitate primū deliberari, promittunt enim sibi invicem adversus quorumvis etiam militum injurias, auxilium mutuum, quodque contra invasores, & illorum patronos cum (21.) scitu Palatini Capitanei sint moturi; Ab externis (22.) securitatem ita curant, ut si hostilis invasio ex vicinia, tunc omnes ad notum locum, de quo admodum sunt solliciti, in Palatinatu cum scitu Palatini Capitanei conveniant,

niant, & deinde ad loca ubi periculum ingruit, pergant. Porro denique, quod defensio non sit firma sine præsidio justitiæ, constituuntur in Comitibus (23.) capturalia judicia, per singulos Palatinatus, terras, quandoque & districtus, & ex optimis Nobilium cujusque Palatinatus aut terræ judicibus electis, iis inchoandis dies decernitur. His ita finitis primis Comitibus (24.) libri Castrenses aperiuntur, & referatio actorum divulgatur, uti quidem Posnaniæ videre contigit, per Ministerialem in quatuor partibus fori Civitatis proclamantem, quo judicia Capturalia, in Castro Posnaniensi celebranda notitiæ omnium deferrentur. verum si quæ in primis Comitibus non decisa differuntur, aliis sequentibus (25.) Comitibus illa perrogantur. Post Convocationem vero s. Confœderationem Generalem finitam, repetuntur (26.) Comitibus, atque referuntur, quæ in Confœderatione illa transacta, aliaque controversa deciduntur, omnesque ad electionis Comitibus invitantur. Quæ antequam consideremus, prius de Capturalibus ducenda lineamenta. Judicium Capturale (27.) Fredro vocat summarium tribunal per Palatinatus absque provocatione, estque tantum tempore (28.) Inrerregni validum, & ab Augusto (29.) cœpisse videtur. Judices, in singularum Provinciarum dictis Comitibus, (30.) omnium consensu unanimi, nullo contradicente eliguntur: electi juramentum præstant. Arrogant autem sibi Capturales judices, potestatem (31.) dictatoriam, cessant etiam illo tempore (32.) omnium Magistratum Ordinariorum munera, Mareschalcis (33.) rùm etiam jurisdictio circumscribitur, adjunctis Senatoribus & equestribus, contra morem solitum. rigidus (34.) etiam omnia examinantur, neque cuiquam, in quenquam quicquam licet. Bombardarum explosiones & qualescunque turbæ, severa animadversione cohibentur; & cum quis licentiæ maximè apertam fenestram putaret, tunc maximè intra se latentem conspiciat. Adeo severitate magistra Polonis adhuc securitas privata, cum publica stetit. Non autem (35.) quævis causæ in Capturalibus judiciis constituuntur, sed potissimum Criminales, facti & certorum terminorum debita. Datur, præter illa particularia Palatinatum, terrarum, vel etiam districtuum quorundam Capturalia, quod dicitur (36.) Generale, ubi de proditiõibus Patriæ, apparatu belli-

bellico, rebus gravioris momenti, quæ ab aliis capturalibus ad illud remittuntur, agitur. (37.) Præsident huic generali iudicio Capturali, præter Marschalcos regni & M.D.L. & Curiarum ex Senatoribus tres pro numero gentium; ex equestri ordine sex pluresve itid. ex singulis Gentibus (majoris Poloniæ, minoris, atq; M.D.L.) æquali numero adscriptis. Ipsiusque locus (38.) est Varfaviæ fixus.

NOTÆ. (1.) De quo Prilus: inferius ad n. 4. citandus. & Piafec. Chron. p. 53. exponit, qui Stephanus illud perficere non valuit, cum jam ante omnibus Ordinibus regni deliberatum ac firmum fuerit, præfinire Electionis novi Regis stabilem aliquem modum, quo incerto eousque Interregna fluctuari, & transversam in præceps agere Remp. solebant. Idem p. 75. de certo Electionis regis modo deliberatum, sed cum pleriq; requirerent, ut in primis lege caveretur, ne quis Austriacus in Regem unquam eligi deberet — ab alia vero parte Archi Episcopus cum Ecclesiasticis timeret, ne exclusis Austriacis pateret ad regnum aditus alicui hæretico — deliberatio illa intermissa. Zayvadski Gloria Orbi Sarmatico &c. De querela Archi-Episcopi super atroci periculo Senatus: — Postremo è re id Reip. esse jurejurando asseruit, ut modus aliquis aut ordo eligendorum Principum in futurum posteritati præscriberetur: fuisse jam olim dictitans id consilium in majorum nostrorū pectoribus. conf. seqq. (1. *) Quæ quidem peculiarem h. l. considerationem mereatur. (2.) Crom. l. 30. p. 814. de Joanne Alberto, ubi Sbigneus, Archi-Episcopus Gnesnensis, Joanni Masoviorum Duci studuisse dicitur. l. 22. p. 719. de Casimiri III. tergiversatione & mora: Et Episcoporum quidem sententia, fere in Fridericum, Marchionem Brandenburgensem, qui jam ante Gener & Successor Jagelloni Regi destinatus fuerat inclinabat, præter Paulum Gizicium Plocensem Episcopum, qui ad alterutrum de
Duci-

Ducibus Masoviorum Vladislao & Boleslao Regnum deferebat;
Hunc secuti — Boleslaum Regem edebant. H. I. Si plures fi-
lij, ut plurimum reverentiam & stimatam ex rerum scri-
ptoribus liquet. ut ut defuncto Casimiro Vladislaum, Ungaro-
rum, & Boemorum Regem, natu Maximum neglexissent & Si-
gismundum reliquis fratribus, Joanni Alberto, & Alexandro,
plurimi pretulissent. De quo Crom. sub initio l. 30. & p.
824. rursus defuncto Joanne Alberto in eundem ferme mo-
dum sententia variarunt. tamen ordine statis, Joanni Alberto
Alexander, Alexandro demum Sigismundus successit, similiter
defuncto Sigismundo III, Vladislao Maximo fratrum decus
Regni cessit. (3.) Crom. Poloniae l. 2. sub initio Tom. 1. C. H.
P. pag. 96. Non temere tamen disceditur à stirpe Regia mascu-
la si qua exstat. Fredro Hen. I. Rex Pol. sub initio, p. 4. Li-
cet vero populo Polono, ea eligendi potestas, ut natis Regum,
posthabitis, aliam in domum Sceptra deferre possit, nec tamen
fit; ut qui domi & in moribus populi nati, rejiciantur, ne sic
forsan minor Imperantibus paretur securitas, & offensarum
in eligentem populum detur occasio, si aliena domus ad purpu-
ram querantur Principes, postpositis, qui in aliquam spem
sceptrorum domi nati; quia è Regnantibus suscepti, tum quod
merita parentum, digna in filiis sceptrorum mercede allegare
possunt. Kobierzycki, H. Wladislai l. 1. p. 10. similiter cau-
sam affert, cur non arceantur Regum liberi, quanquam Reges
Polonis non nascuntur. conf. Piascius, Chr. p. 61. Ubi Polo-
norum morem antiquum, in Colendo Regio sanguine, ex Jagel-
lonica stirpis observantia demonstrat. (4.) Tunc enim Ste-
phanus, Archi Episcopus VIII. omnes curas & cogitationes
suas eo direxit ut Polonia conquiesceret, proinde Gnesnam co-
mitia indixit, ibi Proceres condonarunt sibi mutuo privatas
offensas, & de summa Rei consilium iniverunt: de eodem
itidem

istidem refertur, quod cum Casimirus Rex diem suum obiisset, conventu apud Gnesnam instituto Boleslaum summa omnium voluntate Regem renunciaverit, & ibidem solemniter Ceremonia unxerit. Quae Damalevicius in ipsius vita p. 76. & 78. asserit. ea tamen evertere videtur Prilus. II. R. i. P. x. l. 1, 1. artic. 3. b. m. de forma eligendi Regis disferens: Sed & forma quoque eligendi Regis à majoribus nostris pratermissa est, modo ut sit Nobilitati equè ac Proceribus libera cautum est. Sed neque praescriptum est, quis Senatorum sub Interregno haberet auctoritatem indicendorum Polonis ac Lithvanis, aliisque regni Ducatibus Comitiorum ea causa cogi solitorum. Hoc autem definitum esse oportuit. Scimus enim Silesiam à corpore regni sese avulsisse, quod in electione unius Regis calculus ipsius fuerat neglectus, ut itaq; tempestive simili occurratur periculo, optandum esset, ut aliquis vir prima inter Senatores dignitate praeditus, aliarum gentium more habeat potestatem comitiorum mox post mortem Principis sine dolo ac fraude indicendorum creandi Regis novi causa. (5.) Ex iis nempe quae Episcoporum, & Archi-Episcoporum sunt, Lubienski de Episcopatu Gerendo p. 263. nominatum nihil juris ante Papae approbationem in bona Ecclesiastica habere affirmat. Crom. l. c. N. 3. p. 106. de Principum jure nominandi Episcopos. — Cœperunt autem sic editi, sive ita nominati indulgentia, & convenientia quadam, admitti ad consilia publica, priusquam approbentur à Pontifice, non item ad functiones sacras, & jurisdictionem ecclesiasticam, & administrationem bonorum. H. I. Atque nupere, anno 1673. Casimirus Florianus Czartoryski Interregnum, quod excepit mortem Regis Michaelis I., Nominatus Archiepiscopus Gnesnensis auspiciatus est, edens sub hoc titulo Universales suas, cum tamen Maciejovius itidem nominatus Archi Episcopus Gnesnensis, olim hac ex causa à coronatione exclu.

exclusus notante Lubienski l. 1. de motu Civili in Polonia
 p. 39. (6.) Piasecius Chron. p. 446. *Et cum in plerisque eadem*
sit Interregni quae est absente Rege Rempubl. Poloniam admini-
strandiratio; quod ex Historiis discessus Henrici Valesii in Gal-
liam (Fredro l. c. n. (3.) p. 152.) Et profectio Sigismundi
III. in Sveciam, Et c. est colligere, idem illustrari potest ex ver-
bis Lubienski de protectione Sigism. III. in Sveciam p.
6. nempe refert cautum esse, ne Legati externi absente Rege, a
quoquam privatim admitterentur, sed ad Archi-Episcopum,
Gnesnensem, si qui venissent, remitterentur, qui non nisi voca-
to Senatu legationem eam audire Et expedire possit. conf.
Fredro l. c. N. 3. p. 15. de Jacobi Uchanscii Archi-Episc. Gnesn.
errore, qui munere suo haud dextre utebatur. addatur p. 16.
& p. 27. tandem è vicinioribus terris precipuos Senatorum con-
vocasse, Et sententias petiisse dicitur, latumq. est Senatus-Con-
sultum, H. I. Patet idem ex Universalibus Interregum, e. g.
Ex actis Interregni post mortem Vladislai IV. Matthiae Lu-
bienski, ubi hoc modo se habent verba, in Latinum trans-
lata, non procul ab initio: Ego, quod Dominus Deus ex
sancta sua voluntate, me quamvis indignissimum, in hoc primo
loco Reipubl. collocavit, sequendo Consilium Et Sententiam,
Ill. Dominorum Senatorum, qui pro hoc tempore apud me pro-
pter mutuum, circa bona Et pericula publica consilium compa-
ruerunt, ex debito loci mei, Et ex consuetudine antiqua, impri-
mis discessum ex hoc mundo Et c. similiter, in actis Interregni,
post mortem Mich. I. Casimirus Florianus Czartoryski,
se ex consilio Senatorum juxta leges Et antiquos mores omnia
agere profitetur. Atq. subscribunt etiam Senatores Universali-
bus, ij scilicet, qui in consilium adhibiti ab Interrege. (7.) Pia-
secius Chron. p. 54. conf. Fredro l. c. N. 3. p. 14. De In-
terregno post Sigismundum Augustum, quod Jacobus Uchanscius,

E

minus

minus benè suo munere fungeretur, Polonia minor & Litvania
absq; ipsius scitu, & decreto, conciliabula egisse dicuntur; quam
obrem equestris ordo Poloniae majoris Srode congregatus, li-
teras in minorem Poloniam querimoniarum plenas scripsit,
quatenus nosset minores Poloni, Universæ Reipubl. incumbe-
re tuendum Jus Archi-Episcopi Gnesnensis, Interregis: — Nec
à quopiã paterentur, collegia sibi indici, — omnia anteacta æ-
tatis interregna, per primates fuisse acta, nec morem majorū,
nec leges Polonas aliter velle, vide seqq. (8.) Ut Fredro l.c.
N. 3. p. 244. Tit. literarum, (Casaris) non pro dignitate ordi-
num dari visus, Reverendissimos ac Illustrissimos ordines, à
Regibus sibi Dominis appellari: ab externo Principe Serenissi-
morum ordinum titulum requiri. H. I. (9.) Paulo aliter post
Sigismundi Augusti mortem: de quo Fredro l.c. N. 3. p. 5.
seqq. (10.) Non enim semper obitus causa Interregni est, sed
& desertio, qualis erat Henrici I. abdicatio item, quæ Joannis
Casimiri: Hujus solennitas ex Diplomatis (quorum alte-
rum Regis se abdicantis, & Reipubl. jura omnia restituentis;
alterum reversale statuum, Regem prestitis juramentis exsol-
ventium) inter statuta Comitiorum ordinariorum, sub Jo-
anne Casimiro an: 1668. celebratorum, ubi statim ab initio
ex consensu omnium ordinum in volumen legum translata re-
censentur cognoscenda. Obitū vero illis universalibus imprimis
notum omnib. reddi, illud jam citatæ N. 6. Matthia Lubienki
& Casimiri Flor. Czartor. testantur. Conf. Piasec. Chron. p.
440. De Interregno post Sigismundum III. Etiam abdicato
Rege Universales obtinere, Diploma Regis Joannis Casimiri
paulo ante citatū hisce videtur innuere: Qua abdicatione sive
resignatione Coronæ Regiæ jam pro tunc ritè & legitime peracta,
ac Diplomate presentis corroborata jus & potestas erit atq; est Re-
verendissimo in Christo Patri Dno. Archi-Episcopo Gnesn. vaca-
tio-

zationem Sceptri & Interregnum declarandi eaque omnia, qua
de jure & consuetudine Archi-Episcopo Gnesn. sub tempus In-
terregni competunt, peragendi. H. I. (11.) Hæc sunt potissima,
qua in universalibus memoratis, & Piasecio N. 10. cita-
tis continentur, atque ita etiam in aliis: addatur Piasecius, à
p. 54. usque 63. quomodo Poloni securitati Regni h. t. prospici-
ant. (12.) Ut ostendit actum, in castro Polnaniensi feria-
2da, post festum S. Luciae, — anno 1673. & exigitur hoc in
universalibus, e. g. in illis Matthiæ Lubienski, — Et ut illa
mors Regis Vladislai, per Palatinatus, districtus, & castra o-
mnia denunciatur, à Magistratibus, quibus competit, requiro
& admoneo auctoritate officii & loci mei, conf. illæ Casim.
Flor. Czartoryski &c. (13.) Uti quidem subscriptum est illi
proclamationi Universalium in acta Posnaniae relatæ h. m.
Harum insertio literarum cum ferocis Paræ implacabili ira,
Seren.^{um} & Potentiss.^{um} Michaëlem Regem Poloniae, 10. No-
vembr. Leopoli esse sublatum, tum suallentis Reipubl. non me-
diocrem angorem actorum publicorum in suscipiendo continen-
tiam omnium notitiæ detulit. H. I. Neq; ex eo controversiæ ullæ
agitantur, aut deciduntur. antè publicationem autem illam
Universalium, judicia vigent: unde in Cracoviensi confœ-
deratione, post mortem Vladislai IV. decreta variorum ju-
dicatorum, omnes subscriptiones, & limitationes quorumvis
judicatorum, usq; ad publicationem Universalis, ab Illustrissimo
& Reverend. Archi Ep. factam, ut in suo robore maneat &
nulla in re in dubium vocentur, volumus. Sed tamen Justi-
tium, non omnium actionum Forensium intelligendum, uti
Confœderatio citata sub finem hisce ostendit: Librorum ter-
restrium more consueto collocatio esse debet, — pariter sub-
script., patentes recognitiones, protestationes, relationes, dan-
da in officio, cuicumq; sunt necessaria, Fatalia vero, & prescri-
ptiones,

ptiones à morte regia non procedant. In Diario Electionis An. 1674. die 30. Febr. disceptatur, an eos ad iudicium Captur: citare liceat, in quos jam à Tribunali Petricov. decretum: & negatur, ex hac ratione, quod cum tribunale iudicium cesset, & decretorum Tribunalitiorum executio cesset. (14.) e.g. In Universalibus, Matthiæ Lubienski: & simul ex consilio ut & sententia horum Illustr. Dominorum Senatorum, retinendo jura & consuetudines antiquas, prius Comitiola districtuum, ita in Regno, ut & in M. D. L. ad diem 15. Mens. Junii & c. Similiter in illis Casimiri Flor. Czart. (15.) Ille sunt Masovia, & Prussia, que ante convocationem, particularia & Generalia Comitiola celebrant, ita enim in citatis Universalibus Lubienski: Palatinatus autem Masovitici particularia Comitiola ad diem 17. hujus m. & Generalia, in Varzavia ad diem memoratum 25. in Palatinatibus denuo Prussia antecedere debent Comitiola particularia, juxta Sententiam Illustrisf. Dominorum Palatinorum indigenarum: sed Generalia ad diem illum memoratum 25. M. Junii Marienburgi. Eundem in modum in Universalibus anno 1673. Diarium Convocationis an: 1674. d. 25. Febr. Mentionem quoque facit, Generalium Comitiolorum Prussia, (16.) Cum nuperè an: 1673. alicubi locorum Generali Capitaneo Comitiola indicente, antequam Universales accepisset solennes, disputatum, an tale quid eidem liceret, quod nimia h. m. Capitaneorum foret potentia, quodque legibus hoc non definitum: verum responsum, liberum Nobilitati, si Regi, multo magis Generali contradicere iniqua postulanti; insuper præjudicia afferebantur, tempore Stephani & Sigismundi III. ita factitasse alios, & memoratum Generalem tempore interregni, à discessu Joannis Casimiri illud jus usurpasse; Magnum denique usum ex hac re, ut antequam Archi-Episcopus, qui impediri posset, indiceret, ipsis consultum esset; notat Fredro l. c. N. 3. p. 15. 16. Quod anno

1572.

1572. *Jacobus Uchanscius, Archi-Episcopus Gnesnensis Palatinatibus in privatos circulos coeundi, suo errore occasionem dederit, quam in rem p. 28. & 31. Marechalci nunciorum oratio in Conclavi Senatus an: 1573. habita, consulatur: septimus mensis agitur, quo nescimus, magisne, & c. vid. Item. En vidimus quam multi Palatinatus, nequaquam bono exemplo & c. & alibi, p. 207. ad an: 1572. Simile quid habet, ubi etiam damnosum mansisse in posteritate ait exemplum, quod autoritas Primatis, a paucis usurparetur. (17.) Id quod ex actis Castri Posnaniensis apparet, ubi haec habentur; Obtulit eidem officio ad ingrossandum in acta sua, literas laudi nobilitatis, Posnaniensis, & Calisiensis ad literas universales, Ill. & Magn. Joannis a Leszno Leszynski, Supremi Regni Cancellarii Majoris Poloniae Generalis, Capitanei. & c. post mortem Serenissimi & Invictissimi Principis Michaelis Regis Poloniae sub Interregno presenti congregata. (18.) Et ita habet confoederatio Palatinatus Cracoviensis inter acta Interregni, post mortem Vladislai IV. — Obtulerunt officio presenti Castrensi, Cracoviensi, confoederationem Kaptur dictam in conventu particulari Prosoviensi proxime praeterito, literis Illustr. & R.^m Archi-Episc. Gnesn. indicto laudatam. In tenore vero confoederationis. Nos Senatores, Dignitarii, & equites, Palatinatus Cracovi: qui Prosoviam pro d. 25. M. Junii, nunciante Ill.^{mo} & R.^{mo} Domino Archi-Ep. Gnesn. & constituyente in Palatinatu nostro Comitola convenimus. conf. quae N. 14. habentur. (19.) Unanimi omnium consensu. (20.) Ita in confoederatione Cracoviensi citata N. 18. de securitate & omnibus, quae tunc temporis ad illam facere videbantur consultum. Simile quid ex Laudo Nobilitatis Posnan. & Calisf. anno 1673. est manifestum. Atq; id ex traditione majorum obtinere, utraq; confoederatio exprimit, prolixius Cracoviensis sub initio. (21.)*

In Cracoviensi confœderatione citata N. 18. Palatini; in
Laudo vero N. antecedi: citato Capitanei Generalis men-
tio fit. (22.) Cracoviensis confœderatio citata, in genere securi-
tatem internam, & externam procurandam tradit; Laudum
vero citatum peculiariter dicto modo externe securitatis curam
geri voluit. (23.) Ita ex Cracov: confœderatione, & Laudo
citatis liquet: Verum in Cracoviensi traduntur lecti iudices,
ex Cracoviensi, Prosoviensi, Ducatu, Leloviensi, Cichoviensi,
Bieciensi districtibus, qui Magnifici Domini Iudices, sunt ver-
ba Confœderationis, per nos electi, ex districtu Zatorieni &
Osviencimensi, duos iudices è medio illorum electos, ad hæc ju-
dicia admittere debent, & iidem Magnif. Domini, Iudices Ca-
pturales, ad locum proprium, i. e. in curiam Cracoviensem, pro
die 1. Julii, proximè venturam, ubi convenerint, judicia sua in-
cipere atque absolvere debent. Ex Laudo vero patet, ibi alios
iudices Capturales Palatinatu Posnaniensi, alios Calisiensi, a-
lios terre Wschoviensi, alios denique Naclensi districtui desti-
natos, & singulorum districtuum iudices, in his simul sedem
habere. est vero in Diario convocationis, anno 1674. d.
30. Januar. ubi nuncii de locis Capturalium sunt solliciti, sc.
Braclaviensis & Dapifer Melnicensis. (24.) De apertione li-
brorum Castrensium in utraq; confœderatione sæpius citata ha-
betur. Et quidem in Cracovi: h. m. acta in omni Palatinatu
publica aperire Castrensi officio in Palatinatu nostro concedi-
mus, utque aperiantur volumus; Et in actis Castri Posnani-
ensis, publicatio referationis actorum, anni 1673. h. m. ex-
pressa — Minister Regni Generalis, libere recognovit, se de
mandato & ex mente totius Conventus, sive convocationis
Nobilitatis, Palatinatum Posnan. Calisien. hic Posna — cele-
brate tam referationem actorum publicorum, quam & caden-
tiam iudiciorum Capturalium in Castro Posnaniensi celebran-
dorum,

dorum, die hōna publicasse, proclamasse, & omnibus tam
præfatam reservationem actorum, quam judicia Capturalia, in
castro præfenti celebranda, ad notitiam deduxisse. (25.) Uti
quidem in Srodensibus Comitibus, post Posnensia designatio De-
putatorum ad convocationem; item de provisione Regine, de
Legatione Svecica &c. conf. Laudum citatum, ubi causa, cur
non Deputatos in Posnensibus designarunt, absentia indigena-
rum & terrigenarum allegatur. (26.) An. 1674. Srode in Po-
lonia majori. (27.) L. c. N. 3. p. 152. (28.) Et quasi Inter-
regnum (e. g.) in absentia Regis Henrici I, de quo Fredro
l. c. proximè, & nostro ævo ab Electione Ser. mi R. is Joan.
III. in dies coronationis usque Capturalia judicia exercen-
tur. (29.) Innuunt hoc verba laudi citati h. m. latinè red-
dita: & quia nulla defensio, sine fide & justitia firma esse
potest, propterea ejusmodi Capturalia judicia, qualia ante sub
quovis interregno fuerunt, & ab Augusto ad hanc diem in
Constitutionibus expressa, cum eadem securitate constituimus.
&c. vid. (30.) Conf. N. 23. & 29. & consulatur experien-
tia. confœderatio Cracoviensis: Nominati iudices, (Captu-
rales) nullo excepto, modo iudicum tribunalitiorum, coram
iudicio terrestri Cracoviensi juramentum explere debebunt;
Pariter Dominus Notarius terrestris Cracov: jurare debet, su-
per sententiam justè dicendam, & non revelanda secreta judi-
cii; Quamvis ex Diario Convocat. an. 1674. d. 29. Febr.
videre liceat, illud non carere controversia, cum quidam iudi-
ces terrestres, qui de officio suo rectè administrando jam sunt
juramento obstricti, excipere velint. Conf. dies 30. Januar. de
constitutionibus à Mareschalco nuntiorum lectis, quarum al-
tera fuit, de judiciis Capturalibus, ut rota in Constitutionibus
Regni expressa, super judiciis jurarent. Et Diarium Electio-
nis, anno 1674. d. 23. Aprilis. Inter puncta proposita, à Ma-
resch. nuntiorum, (1.) ut Dnn. Iudices Capturales (Generales)

*in facie Reipubl. jurarent, ubi etiam habetur sensus juramenti, & qui illud Senatoribus, qui equitibus prælegerunt. (31.) Piafec. Chron. p. 647. Ea propter non neminem an: 1673. novimus agrè persuasum ut in Capturales judices eligendos consentiret, quod nimiam eorum diceret potestatem, à qua non daretur appellatio, sed tandem de intercessione sua remisit, ipseque inter judices locum invenit. Quaedam tamen persona huic Dictatoria potestati non sunt obnoxia, quam in rem quis in Diario Convoc. an: 1674. d. 30. Jan. sententiam dixit: Ne rigor Captur. Judiciorum extenderetur, vel ad Senatorem, vel ad Nuncium presentis convocationis, aut Comitiorum relationis. & in Diario Electionis d. 4, 5, 7. Maji. in causa Illustr. Principis Constantii Wisniewiecki, adversus Ill. Maresch. M. D. L. contradixerunt Litvani, quod Maresch. M. D. L. ab impetitione juris liber sit, cum non conveniat Magistratum in jus vocare &c. (32.) Utpote in ipsis Capturalibus contra Civitatem Posnaniensem est instituta actio, quod sub h. t. aliquem privilegiatum civem Proconsul carceri mancipaverat. (33.) Quae Piafec. sunt Chron. p. 446. in Diario Convocat. citato, d. 17. Januar. prolixè habetur controversia inter judices Capturales Varsavienses & Mareschalcos, cum illi Mareschalcorum jurisdictionem sub Interregno prorsus annihilandam urgerent, alii solum ad aulam Reginae, uti alias Regis, eam extenderent, contra nitentibus Maresch. Et in Diario Elect. citato d. 23. April. Quod quamprimum judices Capturales, Generales, officio suo fungi cœperint in circum equestrem Mareschalci disceserint. (34.) Patet ex processu quem confœderatio Cracoviensis citata aliquo modo delineat. (35.) Id in Laudo citato monentur h. m. Hi quidem judices præter causas ipsis debitas, alias judiciis hisce non subjacentes, judicare non debent. Et in Cracoviensi confœderatione h. m. Quia vero
de*

de securitate non modo externa, verum etiam interna, quæ in dispensatione sacrae justitiæ est sita, prospicere cujusque Reipublicæ plurimum interest, propterea nos præteritis accommo- dando capturis sive confœderationibus, in quibus ad judican- das causas, Criminales & facti, Judices Capturales Palatina- tus quilibet eligere sœvit, nos quoq; hac in re Sacrae Justitiæ, aut institutis majorum deesse nolentes, Judices Capturales as- signamus conf. & c. (36.) In Diario Electionis citato, d. 21. April. (e.g.) In hoc generali Judicio causa Fisci, questorum, & desertorum castrorum agitata decernuntur; Conf. Con- troversia, N. 31. allegata, quæ ad Capturale Generale re- missa. Et d. 12. Maji ubi Controversia de ordinatione Ostrovi- ana eidem à quibusdam addicta. In Diario Convocationis citato, d. 20. Januar. huic judicio pecuniam publicam, instar depositi committendam, Vir Illustris suasit, præterea Praxis at- tendatur. (37.) Tantum cognoscere licet, ex actis Interregnorũ, ex Diario Electionis d. 21. April. ubi potissimum disputatur, an Mareschalco nuntiorum an Palatinatibus potius jus nomi- nandi competat; vicit Sententia pro Marescb. sed tamen ita, ut omnium consensu fieret electio. Zavyadzki vero gloria Orbis Sarmatico & c. hanc in rem talia affert: Sexto Calendas floridis mensis Deputati magno motu ad generalia regni judicia Captu- ralia, impediens ac miscens sese mutuo Litvauis, ab E- questri Ordine quatuor ex singulis gentibus, nimirum Magna- Minoriq; Polonia, & M. D. L. electi sunt. Deputati ad eadem judicia à R.º Archi-Episcopo tres Senatores Castellani. — Magna controversia, magnoque animorum motu hæc deputatio steterat, impediens plurimis insistendo novissima legi, Ele- ctionem Deputatorum per Palatinatus, cæteri, idq; plures, ve- teribus institutis standum, atq; ne auctoritas Marschalci viola- retur, censebant, miroq; conatu perfecere. (38.) Teste rerum experientia.

F

§. VI.

§. VI. De Generali (1.) confœderatione quædam adjicienda; illa vero non multum aut temporis intervallo aut loco à Comitibus electionis distinguitur. Olim hujus confœderationis locus, & Gnesna fuit, ut ex Damalevicio constat, atque aliæ (2.) urbes; Proximis autem Seculis Varſavia (3.) ipsi destinata, jam à Sigism: Augusti excessu, à quo omnis ferè Interregnum facies illustrior & distincta magis esse cœpit, sibi que similior. Finis vero hujus (4.) confœderationis præcipuus est, ut post jurium emendationem electio Regis certo die indicatur, & quæ ad ejus securitatem libertatemque faciunt. Qua in re priores maximam curam confœderationis voluerunt. Decidi tamen aliquando in illa & alias controversias, ex novissimis (5.) certum est. Provinciarum singularium, in comitiolis scita, (6.) non sunt rata nisi in hoc generali conventu probentur. Series vero illa est: Denominantur in Comitoliis legati & instruuntur: Hi ita iter componunt, ut ad diem in Universalibus definitum sint præsto; aliquando vero ipsi diversarum gentium, quam ingrediantur Varſaviam prius conferunt consilia. Numerus (7.) illorum, ut in Comitibus, trino est determinatus. Verum non omnium Provinciarum Legati, illico præstituto die adsunt, sed tardius citius sicuti & Senatores, prouti conditio rerum tulit, accedunt. Quicumque autem ex Senatoribus, aut Legatis definito die adsunt, à Sacris præeunte Episcopo initium faciunt, uti quidem nostra ætate, nupere Posnaniensis, illa vota solenniter peregit, concionem aliquo Patrum habente; Legatorum vero, sive nunciorum terrestrium, prima abinde est cura de eligendo Collegii Principe, sive (8.) Maresch. pro more Directoriæ potestatis, à singulis sententias petendi, notandi, cœquandi, uti in aliis omnibus comitiis, Comitoliisque. Cum vero Maresch. ille omnium præsentium consensu eligendus, interea ejus vice alium habent Directorem, præcedentium sc. Comitiorum Maresch. Eliguntur autem non promiscuè ex quovis Palatinatu Mareschalci sed cum jam olim, omnis Imperii (9.) tres constitutæ sint gentes, ex Polonia duæ, sicuti ipsa duplex, major & minor, tertia ex Lithvania; secundum ordinem ergo (10.) alternatim hujus vel illius gentis, Candidati propouuntur, ex quibus in Comitibus quam in confœderatione Maresch. creantur. (11.) Qui statim gratias agunt, quod ipsis hoc munus creditum, simul ad
Sena-

Senatores ex tribus gentibus nuncios mittunt, qui electionem Ma-
 je Sch. peractam, ipsis fratribus majoribus referunt, de consiliis, cū
 ipsi sociandis rogantes; ex illo, Senatorum nomine quispiam gra-
 tulari hūc de consensu in Directore creando, & ad Senatū invi-
 tat. Hinc, cum Nuncii Senatores privatim salutarint, antequam
 ipso in Conclave ad Senatoriū translato, de iis quæ in hoc pos-
 sint decidi, & quæ in conjunctione conclavium, vel omnium, vel
 singulorum, Palatinatum nomine proponenda disputant: hōcque
 Director Nunciorum Conclave ad Senatores Fratres majores sur-
 sum movisse dicitur. Introducitur autem Director ab aliquo ma-
 jorum Regni Officialium, quos inter etiam locum occupat, ibique
 nomine conclavis Nunciorum Senatū alloquitur, sique Archi-Ep.
 præsens, illum, si, qui ejus vices obtinet, peculiariter affatur. Quo
 Archi-Episcopus, aut ejus loco alius ex Senatu, equestri ordini re-
 spondet, simulque temporis circumstantiam describens, summam
 transigendorum proponit, postea in conjuncto conclavi, vota pro-
 ferunt, Mareschalc vicem gerente, & baculum fumente, quodam
 ex officialibus magnis. Et Episcopi præsentis primum, deinceps Pa-
 latini, & alii ex Senatoribus digniores, plenè Statum Reipubl. & ne-
 cessario in confœderatione tractanda edisserunt. Post quos pro-
 miscuè in votorum disceptatione, Senator, Nuntius, Maresch.,
 accusant, defendunt, svadent, dissvadent, laudant, vituperant; O-
 mnes tamen controversiæ, vel decidendo, vel ampliando, sopiun-
 tur. tandem finem ex ordine Senatorio, ratione Senatus; Nomine
 vero equestris ordinis Director Nunciorum, per quem etiam consti-
 tuta typis illico imprimenda curantur, Convocationi imponit.

NOTÆ. (1.) *Confœderatio alia est particularis, certorum
 Palatinatum seorsum, alia generalis, quæ aliquando simpliciter
 Confœderatio, vel Convocatio dicitur: Poloni utramq; vocabu-
 lo Kaptur exprimunt, uti quidem Confœderatio Craeovien-
 sis, §. 5. N. 18. citata, indicat, & Herb. in Statutis f. 84. B. Post
 mortem, inquit, Ludovici, Proceres Regni de electione filie ipsius,
 juribus, ecclesie bonis, & sinibus Regni, sub Interregno defen-
 dendis, ita erant Confœderati, ea Confœderatio dicitur Kaptur,
 (ad an: 1382.) extat hæc Prilus, ll. R. i P. æ l. i. artic. 2. ita & Cna-
 pius Kaptur, Conspiratio Procerū, & ordinum Regni sub Inter-
 regno*



regno facta ad defensionem Jurium Regni ὁ συνγενήσιμος. (2.)
 A Jagellone Posnania, Crom. l. 21. p. 699. à Vladislao III. Sira-
 dia, l. 22. p. 718. à Casimiro III. Petricovia, uti ἔ à Joanne Al-
 berto, l. 30. p. 814. 824. (3.) Fredro de Henrico I. Rege Polo-
 nia, ad an: 1573. p. 27. Piafec. Chron. p. 441. (4.) Piafec. p.
 441. 446. Fred. l. c. p. 17, 18. 27. seqq. *Confœderatio Generalis*,
 an: 1648. typis impressa. (5.) Vid. Diar. Convocationis, an:
 1674. pleriq; tamen Senatorum quod privata publicis misceren-
 tur, sunt indignati. Ita quoq; Piafec. Chron. p. 441. quod Con-
 ventus iste nihil decernat, sed tantum causas publicas examinari
 permittat, intelligenda. (6.) Piafec. Chron. p. 446. etiam in
 Diario Convocat. ad d. 30. Jan. ἔ in *Confœderatione Generali*
 an: 1648. (7.) Plocenses, qui ultra solitum numerum in Convo-
 catione an: 1674. comparuerant, propterea correpti, ἔ quam-
 vis ipsis omnibus sessio concessa, tribus tamen solum vota per-
 missa, ἔ cautum, ne imposterum in Comitibus vel convocatione
 simile quid fieret, vid. Diarium d. 16. Jan. (8.) Piafec. p. 441.
 Fredro l. c. p. 27. (9.) (10.) Quamvis Prussia sæpius in Comitibus,
 ἔ in nuperrima convocatione pertinaciter id egerit, ut ipsa
 quarta gens. constitueretur, ἔ vix precibus persuasa, à suo in-
 stituto destitit. vid. Diar. d. 15. & 16. Jan. De tribus gentibus Za-
 vvadzki Gloria Orbi Sarmatico &c. testari potest, quando ad
 generalia regni judicia Capturalia ab Equestri Ordine quatuor
 ex singulis gentibus, nimirū Magna Minoriq; Polonia ἔ M. D. L.
 electos dicit. ἔ c. (11.) Hæc ἔ sequentia, maximè perspicua e-
 runt, inspicientibus Diaria Convocationum. cum quibus passim,
 Piafec. Chron. Fredro, Henricus I. uti ἔ Stanislai Carnovii
 Episc. Vladislaviensis, ad Henricum Valesium Poloniarū Regem
 designatum, Panegyricus, uti ἔ *Confœderationes genera-*
les, Idiomate Polonico expressa, conferri
mererentur.

Ad

Ad Generosum & Nobilissimum
DN. DIETERICUM à Tettau/
Auditorem suum Industrium

De Regno Poloniae publicè disputaturum.

Non unquam videas *Aquilam* generasse *columbas*,
Et pullis *patrius* fervor inesse solet.
Tu quoque, quod non sis *Patriarum* degener haeres
Virtutum, pridem, *Mens Generosa*, probas,
Dum solem *celeri* gaudes tentare *volatu*;
Et Tua *fidereas* verberat ala plagas:
Applaudo *coeptis*, *primus* quæ suggerit *ausus*;
Pergito sic *Patrios* condecorare *gradus*!

Lmd;

M. ANDREAS HEDIO,
Log. & Philos. Prim. P. P. ord.

Quem sua nobilitat *virtus*, generisque decora
Exprimit *ingenua* vita, ter *nobilis* ille,
Ter *generosus* erit, *spectatus* nomine quam re.
Id quoque TETTAVI Te MAGNI cura PARENTIS
Educat à teneris, ut qui *spectabilis* audis
Ordine nascendi, varia *spectatus* arte
Ingenium ostendas Orbi; quem gloria multa
Majorum, & series proavorum amplissima *clarum*
Edidit, ex *claro* generis *clarissimus* eses.
Atque pio studio GENITORIS gratia cœli
Respondet parilis; bene cœptis porro secundo
Successu faveat Numen, mea vota precantur!

Quae per dilecto suo TETTAVIO
hiscæ signat

PRÆSES.

EA

an 7m 6401
Est aliquid, Patria Regimen fascesq, vetustos
Majorum assiduâ volvere mente, manu;
Majus at est, Patriis conjungere & extera Jura
Legibus, Hoc Studium gloria major amat.
Hanc capis, exterior Tibi dum quoqve Purpura curæ est;
Pergito sic doctam nobilitare Chelyn:

*Hac Amico suo, Fraterno amore
prosequendo scripsit*

**WOLFGANGUS CHRISTOPHORUS
à Nettelhorst.**

Sic Patrios, decus est, TETTAVI asumere mores,
In multâ dignum crescere laude virum.
Ulterius MAGNI, laudem sic quære, PARENTIS,
Et capies studii præmia digna tui.

*Hac Generosissimo Domino Respondenti,
obsequia & amorem testaturus,
apposuit*

**FRIDERICUS WILHELMUS
ab ÖLSCHNITZ.**



W. A.

ML

Q.K.
379,
5.

IN

RE


AMPLIS
PHILO

M. PHI

DIETE

Ad

Typis FRID
ELECT.



II n
6401

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
BIBLIOTHEK
MAGDEBURG

